



1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

Nachricht

über

das Königliche Pädagogium

zu Glaucha bei Halle

das Schuljahr 1831 — 1832 betreffend

von

Max. Schmidt,
Inspector.

PRAEMISSA EST COMMENTATIO DE PRONOMINE GRAECO ET LATINO,
AUCTORE MAX. SCHMIDTIO.

Halle,
gedruckt in der Buchdruckerei des Waisenhauses.

1832.

§. 1.

Romani, quum et fama accepissent, magnam antiquissimorum Italiae incolarum olim ex Graecia venisse, et ipsi inter suam graecamque linguam maximam v intercedere similitudinem, facile in eam adducebantur opinionem, ut latinam lir graeca ortam eiusque quasi filiam esse crederent. Quare ex Graecorum lingua p vocabula ac multas declinationum et coniugationum formas repetebant, relic omnia, quae sua lingua habebat propria ac quasi domestica, ea ex linguis illorum p rum, qui in Latio, Etruria ceteraque Italia antiquitus habitavissent, fluxisse opi tur. Atque ista opinio, quae iam apud Romanos obtinuit, ad nostra usque te propagata est. Fuerunt enim quidem, qui, quum Gothorum litteras aliaque prisc manicarum linguarum monumenta perscrutarentur, germanam quoque linguam l simillimam esse intelligerent, et e germanicae linguae initiis hanc esse repetendam rent, rati, illam ab iis populis, qui ex terris septentrionalibus in Italiam immigrav allatam esse. Sed isti nihil dixisse videbantur, nec poterant ita opinionem diu inv tam ex hominum animis evellere, quum praesertim plerique veterum germanic litterarum rudes et ignari essent, et quae ipsi ignorabant, fastidiose respuerent. vissimo demum tempore, quomodo illa tam mira graecae, latinae germanicaeque lir inter se similitudo orta sit, intellectum ac plane novis argumentis illustratum com batumque est. Nam William Jones, homo Anglus, veteri et sanctae Indorum ling quam sanscritam vocant, primus et ipse magnam navavit operam et eius studium exemplo suaque auctoritate omnibus cultioribus populis maximopere commend Postquam aliquandiu soli Angli ad illam linguam animum attenderunt, etiam apud c ros Europae populos sensim ac pedetentim cognosci coepit. Atque e nostratibus qui hominibus Fridericus Schlegelius, quod equidem sciam, primus fuit, qui animun studium ad sanscritam linguam applicaret, suisque popularibus auctor esset et hort ut suum exemplum sequerentur, id quod paullo post Boppius, Frankius, Augu

Guilhelmus Schlegelius fecerunt. Ut autem fieri assolet, ut res praeclara, simul atque cognita est, a multis appetatur: ita etiam, quum ad sanscritam linguam eiusque monumenta aditus esset patefactus, multi viri doctissimi ad eius studium incubuerunt. Qui quum multa de Indorum philosophia, artibus, rebus sacris ac rebus gestis egregie exposuissent, tum etiam de ipsa lingua, de eius origine, de singulis denique verbis et formis docte et accurate disseruerunt. Neque eos, quid inter linguam indicam et graecam latinamque esset similitudinis, diu latere potuit. Quo miro consensu quum ad linguarum inter se comparandarum studium magis allecti alias quoque linguas huc usque aut minus cognitas aut omnino non consideratas accuratius excussissent interque se contendissent, paullatim sibi persuaserunt, linguam graecam, latinam, germanam, letticam, slavicam, persicam, ac fere omnes inde a Gangis littoribus usque ad mare Atlanticum repertas cognationis inter se vinculo contineri et ad unam quasi parentem atque omnium procreatricem esse referendas. Quum vero recte intelligerent, hanc linguarum miram inter se similitudinem non temere neque casu oriri potuisse, statuerunt, sive in Caschmiriae confiniis sive in alia quacunque Asiae regione temporibus remotissimis, de quibus nihil esset proditum memoriae, populum quendam habitavisse, ac lingua usum esse, quae earum, quas inter se cognatas esse perspexerant, quasi mater esset habenda. Hic enim populus, quum aliquandiu in primis istis sedibus coniunctus vixisset, sive accrescente hominum multitudine sive aliis rebus coactus eas reliquit, ac partim septentriones versus, partim in occidentem, partim aliorsum migravit, atque ita diversae ex eo nationes natae sunt. Hae nationes quamvis eandem linguam, qua in primis usae fuerant sedibus suis, etiam tum, quum ex iis exissent, retinerent, tamen eam tempore progrediente paullatim multimodis immutari necesse fuit. Nam longis itineribus terrisque disiunctae aliae aliorum vocabulorum sonum aut significationem commutaverunt, alia verba paullatim amiserunt, alia denique, prout ratio atque usus flagitavit, invenerunt. Ita factum est, ut hae linguae variam quidem faciem habeant et multis in rebus inter se differant, sed tamen, si accuratius eas inter se comparaveris, et quasi in intimam earum naturam atque indolem intraveris, eas arctissimo cognationis vinculo contineri appareat. Ita qui in una domo nati sunt et educati, quamvis diversa vitae genera sequantur, tamen quandam inter se similitudinem retinere solent. Haec autem linguarum similitudo eo magis in oculos incurrit, quo aut vetustiora linguarum monumenta inter se conferuntur, aut quo religiosius atque tenacius populus linguae antiquitatem coluit. Quo in genere in primis Indi excellunt, qui quum in aliis rebus, tum in omni lingua antiquitatem tutati sunt. Cuius rei caussam hanc esse arbitror, quod e pristinis suis sedibus facile ac cito ad Gangis ripas, nova sua domicilia, pervenerunt et magna ex parte integram et incorru-

ptám suam hereditatem, quam a matre acceperant, illuc attulerunt, dum contra Gı Latini, aliique populi, qui iisdem sedibus exierant, in longo suo itinere, difficili m tione suoque cum alienis populis commercio multa ab illis nova ac peregrina adsc bant. Quare quum e linguis cognatis alia ad alius declinationes et compositiones e: candas cum fructu et utilitate adhiberi possit, tum non mirum est, si Indorum li vetus sive sanscrita ad cognatarum linguarum naturam et indolem perspiciendam m etiam usui est, quam relicuae. Inter eos viros doctos, qui illam iam hunc in usum verterunt, princeps nominandus Franciscus Boppius, qui, quomodo pleraeque ling quas supra communem originem habere diximus, inter se cohaereant, et quibus in bis ac formis alia alii sit similis ac congrua, cum summo ingenii acumine et copiosis doctrina exposuit. (Cf. prae ceteris Vergleichende Zergliederung des Sanskrits und mit ihm verwandten Sprachen, von Fr. Bopp; in den Abhandlungen der Berliner Ak mie, 1823 sqq.) Sed quum ille de pluribus simul ageret linguis, factum est, ut, ex Indorum lingua ad graecam latinamque explicandam petiit, non satis elucear adhuc minoris, quam par est, ab harum litterarum studiosis aestimentur. Itaque horum studiorum partem de integro tractare, et, quae aut alii, comparatis cog linguis, ad graecum atque latinum pronomen enucleandum recte proposuissent, aut vel nova vel meliora mihi reperisse visus essem, ea unum in censum conferre a animum meum constitui. Quod autem inprimis pronomen mihi tractandum sumer eius rei caussa et ratio haec fuit, quod pronominis formae in unaquaque lingua antiq simae sunt et ad omnem linguam formandam maximam vim habent. Quanquam au multorum, qui ad eadem studia magna cum laude magnoque cum fructu incubuer nomina praetermitto, non possum tamen praefandi finem facere, quin Hartungum, a Erlangenses gymnasii Professorem, cum laude commemorem. Is enim nuperrime doc de casibus latinae et graecae linguae librum edidit, in quo quum de aliis declinati partibus, tum de pronomine multa scite exposuit. Sed quum ille ipse linguam sans tam ignoraret, ceterasque cognatas linguas magis, quam par est, negligeret, factum ut alia non recte explicaret, alia omnino non inveniret. Nos quum de pronomine ag mus, eo animum semper attendimus, ut ad linguam graecam et latinam enucleand ubivis cognatas linguas in auxilium vocaremus, non vero graeca latinaque usi sumus, ceteris linguis lucem afferremus, quod a consilio nostro abhorrebat. Quum vero pl mis latini graecique pronominis formis inprimis e lingua sanscrita lux peti possit, il non potuimus non saepe mentionem facere.

§. 2.

PRONOMEN QUID SIT.

Pronomen, e graeca voce ἀντωνυμία conversum, est verbum pro nomine aliquo usurpatum. Nomina autem quum aut substantiva sint aut adiectiva, pronomina ipsa in pronomina substantiva et adiectiva discernuntur. Numerus quidem pronominum alius in aliis linguis est aliaque apud alios vocabula pronominibus adnumerantur; id quod profecto mirum est. Nam quum e pronominis definitione cognoscendum et diiudicandum sit, quaenam verba inter pronomina sint referenda, hoc grammatici minus curaverunt, sed ea vocabula, quae singularem quandam declinationem haberent, in pronominum numerum retulerunt. De graecis quidem grammaticis nemo neque εἷς, neque πᾶς, neque μόνος, neque ὅλος in pronominum numero reposuit, quum Romani *unus*, et *totus*, et *solus* in pronominibus habeant. Eorumque verborum numerus inprimis magnus est apud Indos, qui *sarvas*, *viçvas*, *samas*, *simas*, *omnis*, *totus*; *naemas*, *dimidius*; *alpas*, *paullus*; *aekas*, *unus*; *dakschinas*, *dexter*; *purvas*, *anterior*; *atharas*, *inferior*; *antaras*, *exterior*; *avaras*, *posterior*; *uttaras*, *superior*; aliaque verba in pronominum numerum adscripserunt. Neque tamen hi populi temere atque inconsiderate in ea re versati sunt, neque fortuitu alia verba inter pronomina adsciverunt, alia eorum numero exemerunt; sed ratio ac lex quaedam valuit, quanquam singuli populi in ea sibi non constiterunt. Nam si illa verba, quae pronomina in singulis linguis vocantur, consideramus, nulla in eorum numerum relata esse videmus, nisi quae aut personam significent aut demonstrandi vim habeant, aut indicent, quae in aliqua re aut numeri aut magnitudinis aut partium singularum omniumve aut externae internaeve specie aut denique possessionis ratio sit. Singularis autem illa pronominum declinatio ita est orta, ut in his verbis antiquissimae casuum formae retinerentur, quum ceterorum nominum declinatio usu attereretur et immutaretur.

§. 3.

DE PRONOMINIBUS PERSONALIBUS.

Quae vocantur pronomina personalia, ea haud scio an rectius *nomina personalia* vocentur. Nam quomodo trium personarum notio oriatur, ubi reputaveris, pronomina non satis recte ea nuncupari videbis. Homo enim, simul atque res singulas distinguere incipit, et imagines vagas et incertas, quae menti suae obversantur, ore et voce efferre et lingua adumbrare conatur, non potest, quin primum se ipsum e cetero rerum ordine eximat, ipseque cogitantis loquentisque partes ac personam induat. Deinde alterum quen-

dam; qui ipsius verba audiat atque excipiat, sibi opponat, necesse est. Ita prae ce ad omne sermonis commercium duae personae sunt necessariae. Et is, qui loqui prima persona vocatur, quoniam primae eius in sermone sunt partes, eaque pers totius orationis quasi caussa et fons est. Is vero, qui primae personae verba audit, r altera persona dicitur; nisi enim habuisset prima, quem alloqueretur sive cuius in u verba faceret, omnino non locuta esset. Quaecunque autem praeter loquentem et dientem reperiuntur et quae eorum personis quasi opposita sunt, ea omnia unum in c sum veniunt et tertiae personae nomine comprehenduntur. Neque praeterea ulla p sona ad sermonem est necessaria. Patet autem, notiones loquentis et audientis, et e de quo sermo sit, multo prius animo esse informatas, quam alias res, quae singular personarum possint esse propriae, eaque rectius nomina personalia quam pronom vocari. Verumtamen quum prima, secunda et tertia persona sive hominem sive r cui nomen, titulus, aliaeque multae notae sunt propriae ac peculiares, significet, har quidem singularum proprietatum ratione habita, pronomina quoque eas personas voc posse, confitendum est.

Cuius generis prima sit et altera persona, id plerique populi in ipso pronom non exprimunt; *ego* enim et *tu* et marem et feminam indicare possunt. Caussa, cur non faciant, haec est, quod qui loquatur et qui audiat, utrum vir an femina sit, in c loquio patet. Tertia autem persona tria habet genera, v. c. masc. *is*, fem. *ea*, neutr. Nam quum haec persona omnia, de quibus sermo fit, comprehendat, quae admodu varia sunt et incerta, magna orationi affertur perspicuitas, si, haec persona num ma culini, an feminini generis, an neutrius sit, singularibus pronominis formis declarat Ita factum est, ut lingua latina quaeque cum hac cognatae sunt, quum primae pe sonae et secundae unam pro omni genere tribuerent formam, tertiae tamen person tria genera singularibus formis discernerent.

§. 4.

DE PRONOMINIS PRIMAE ET SECUNDAE PERSONAE RADICIBUS.

1) In pronomine primae et secundae personae contemplando primum animum a vertit radicum, quae ad eius declinationem adhibentur, multitudo, eaque, quomo oriatur, explicandum est. Notum est autem, omnes notiones, quae multimodis me sese offerant et usu frequententur, etiam verbis diversis enuntiari. Nam, ut exemp utar, quoniam *iter* variis modis facere possumus et itinerum saepissime fit ment in plerisque linguis plura extant verba, quibus varii eundi modo indicantur. Iter que eae nationes, quae oram maritimam incolunt et magnam navigationi operam da

multo plura verba habent, quibus singulas quasque res, quae ad rem maritimam pertinent, exprimant, quam ii populi, qui a littoribus et a navigando sunt remoti et in agricultura, venatione aliisve negotiis aetatem degunt. Quaenam autem apud omnes homines notio magis frequentatur, quam primae et secundae personae, e quibus, uti §. 3. docuimus, omnis oratio nascitur? Itaque non mirandum est, si earum personarum notiones pluribus verbis enuntiaverunt. Huc etiam accedit, quod vix quidquam magis homo animadvertit, quam quae aut in ipsum, qui loquatur, aut in eum, quocum loquatur, cadant. Itaque quantum in his pronominibus et casuum et numerorum sit discrimen, optime intelligit atque perspicit. Nam ut a numerorum diversitate exordiamur, quanquam *nos* plures eiusdem generis, atque *ego* sum; homines significat, tamen illos, quos mecum coniungo, nunquam eosdem esse, atque ego sim, iudicabo, sed me potius ab iis diversum esse sentio. Quo sensu, qui ita hominibus insitus est, ut melius intelligi quam explanari queat, factum est, ut et in dualis et in pluralis numeri usum Romani et Graeci aliique populi diversas a singulari numero adsciscerent radices. Differunt enim singularis numeri radices *ἐγώ* et *μοῦ* a duali numero *νῶΐ* et a plurali *ἡμεῖς*, et in altera persona *σύ* et *ὑμεῖς*, atque apud Latinos diversae sunt radices in *ego*, *mei*, et *nos*; in *tu* et *vos*. Atque fere eandem caussam esse arbitror, cur *ego* nominativus a *mei*, *mihi*, *me*, eiusdem numeri casibus obliquis, et *ἐγώ* a *μοῦ*, *μοί*, *μέ* adeo differant, eademque etiam in cognatis linguis diversitas in casus recti et obliquorum radicibus reperiatur. Nos enim declinamus *ich*, *meiner*, *mir*, et Indi *aham ego*, *mama mei*, *mae mihi*, *mā me*, et Letti *es ego*, *mannis mei*, *man mihi*, et Poloni *ja ego*, *mnie mei*, *mnie mihi*, etc. Caussa autem, cur in primae personae pronomine diversas radices ad unius numeri declinationem adhibuerint, haec est. Homines nihil aeque discernunt, quam quae aut ipsi agant, qua in re nominativus casus adhibetur, aut alii ita perficiant, ut ea ipsos attingant et ad ipsos vim quandam habeant, id quod per casus obliquos exprimitur. Adducti igitur gravi horum sensuum diversitate aliam in pronomine primae personae casui recto, aliam casibus obliquis adoptaverunt formam. Idque Romani et Graeci in prima tantum singularis numeri persona fecerunt; Indos et Polonos eadem caussa compulit, ut etiam in plurali numero nominativum a casibus obliquis secernerent, Indi enim *vajam nos*, accus. ăsmān, instrum. *ăsmābis*, etc.; Poloni *my nos*, gen. *nas*, dat. *nam* habent; et in lingua vernacula hoc discrimen etiam ad secundae personae pluralem numerum transiit *wir*, *unser*, *uns*; *ihr*, *euer*, *euch*.

2) Deinde illud est explicandum, quomodo fiat, ut in personae primae et secundae declinatione nonnulli plurativi casus singularis numeri formas habeant. Id in lingua san-

scrita in utriusque personae ablativo pluralis numeri reperitur; nam *asmat nobis juschmat vobis* singularis numeri formam habent. Apud Romanos *nostri* et *vestr* apud Graecos ἡμῖν et ὑμῖν, uti §. 17. pluribus ostendam, praeterea etiam aeolic formae ἄμμε et ὔμμε singularis numeri declinationem sequuntur. In ea re, ad qua quantum equidem scio, nemo huc usque virorum doctorum animum advertit, cre illud singulos populos secutos esse. Quum in his pronominibus numeri pluralis not ipsis radicibus enuntietur, horum verborum fere eadem est ratio, quae nominu collectivorum, quae, quanquam plures sive homines sive res continent ac significa tamen singularis numeri declinationem sequuntur; plures enim intelligi, ipso verl demonstratur. Ita etiam in iis pronominibus, quibus in plurativi usum propria peculiaris radix fuit, pluralis numeri notio non fuit necesse declinatione indicaretu casum indicare satis erat, et ad eum significandum, uti in nominibus collectivis acc dit, etiam singularis numeri formis uti poterant.

3) Primae personae casus obliqui in numero singulari et in latina et in cognat linguis a *m* littera incipiunt; in graeca vero, si maior est pronominis vis, *e* litte praeponitur; quam quidem litteram non e lingua antiquissima adscitam et servata sed a Graecis ipsis inventam et additam esse, linguarum cognatarum consensus decl rat. Idque eo magis est verisimile, quod Graeci verbis a littera consona incipientib saepe vocales praeposuerunt: cf. κεῖνος et ἐκεῖνος, χθές et ἐχθές, νέρθεν et ἔνερθεν, ῥύε et ἐρύειν, θέλειν et ἐθέλειν, μαυρός et ἀμαυρός, κέλλω et ὀκέλλω, δύρομαι et ὀδύρομα βληχρός et ἀβληχρός, sanscr. nom. *bhrus* die *Braue*, Augen*braue*, ὀφρύς, sansc *danschtrā* (a verbo *dans mordēre*), *dens*, *Zahn*, ὀδούς ὀδόντος, aeol. ἔδους.

4) Sunt etiam viri quidam docti, qui primae personae nominativum *mi* extitis putent. Nam sicuti τίθη-ς et τίθη-σι formas, pro quibus τίθη-σι, τίθη-τι antiqu tus dictum est, e verbi radice et e secundae tertiaeque personae pronominibus com positas esse credunt: sic in τίθη-μι verbo μι primae personae nominativum servatu esse putant. Sed satis infirmo nituntur argumento. Nam etiamsi verborum coniuga tio eo modo, quo illi volunt, orta est, tamen non consequitur, nominativos prono minum verborum radicibus esse additos, sed eam in verborum coniugatione pronomi nis formam esse usurpatam, credibile est, quae in singularis numeri declinatione maxi me in usu fuerit; eaque fuit radix, quae a *m* littera incepit, e qua omnes praete nominativum singularis numeri casus manaverunt.

Provocant iidem viri ad persicam linguam, in qua primae personae nominativu ex ista radice factus sit. Sed lingua zentica, e qua persica fluxit, in nominati forma cum linguis cognatis congruit, neque linguae persicae, quae scilicet multoru

populorum accessione admodum immutata est, exemplum maiorem habet auctoritatem, quam, si quis e *moi*, voce gallica, antiquitus hanc radicem ad nominativum formandum adhibitam esse ostendere vellet.

5) *Nos*, *vos*, prima secundaque persona pluralis numeri, cum *νωΐ*, *σφωΐ*, earundem personarum duali, magnam habent similitudinem, neque tamen *nos* et *vos* e graeca lingua in latinam translata esse, cum Buttmanno credendum est. (Cf. Buttmanni Lexilog. tom. I. p. 51.) Ille enim, quum totam dualis numeri declinationem e formarum abundantia quadam natam esse crederet, *νωΐ* et *σφωΐ* antiquitus pluralis numeri fuisse putavit. Sed quantopere ille in dualis numeri natura explicanda erraverit, id Humboldtus egregio libello, quem de duali Berolini 1829 conscripsit, edocuit et explanavit. Neque *nos* et *vos* formas e graeca lingua repetamus, necesse est. Eaedem enim pluralis numeri formae etiam et in lingua sanscrita *năs* et *văs* et in polonica reperiuntur. Itaque apparet, et Romanos *nos* et *vos* et Graecos *νωΐ* e lingua prima, communi ista omnium linguarum procreatrice, hausisse. E *vas* s. *vos*, radice, *σ* littera praeposita, *σφωΐ*, *σφώ* formas esse derivandas, Boppius credit. (Cf. Vergleichende Zergliederung, 2. Abh. p. 6.) Verborum tamen, quorum initio Graeci *σ* praeposuerint, exempla frustra quaesiveris. Quare ego in eam sententiam adducor, ut *σφωΐ* formam e *σύ*, numeri singularis radice, ortam esse statuam. Nam uti in pronomine reciproco, quo de infra agetur, *u* littera apud Graecos in *φ* mutata est: ita, quum ad *σύ* dualis forma *ωΐ* adderetur, *σφωΐ* ortum est.

6) Pluralis numeri formae ionicae sunt ἡμεῖς et ὑμεῖς, aeolicae ἄμμες, ὔμμες. Videndum est igitur, utrae sint vetustiores. Hic quoque, uti alias, aeolicae formae maiorem sibi antiquitatem vindicant. Nam in lingua sanscrita horum pronominum pluralivum maximam partem e radicibus *ăsm* et *jŭsm* formatur; conf. indicum accusat. *ăsmān*, *jŭsman*; instrument. *ăsmābis*, *jŭsmābis*; locativ. *ăsmāsŭ*, *jŭsmāsŭ*. Indicae autem radicis formam antiquissimam esse, et ex ea omnes pronominis graeci formas manavisse, si indicum *asmi sum* et graecum *ἐσμί* inter se contenderis, facile intelliges. Nam *asmi* est antiquissima forma, cum *ἐσμί* aeolico verbo congrua; sed *σ* littera ante *μ* in *μ* conversa, *ἐμμί*, eadem autem eiecta et vocali producta, *εἰμί* natum est. Idem in horum pronominum radicibus factum est. *σ* enim littera in utroque pronomine in *m* mutata, in altero etiam *j* omissa, aeolicae formae ἄμμες et ὔμμες sunt ortae; Iones autem, *σ* littera eiecta et ὔ et ἄ vocalibus productis, ἡμεῖς et ὑμεῖς fecerunt.

7) *Τύ* aeolicum antiquius esse quam *σύ*, latinum *tu* et sanscritum *tuam*, germanum *du*, ceteraeque linguae cognatae satis testantur. Apud Boeotos *τού* et *τούν*, apud Lacones *τουνή*, cf. Hesych. s. h. v., in usu erat.

8)

8) Denique de genitivi formis *nostrum*, *vestrum*, *nostri*, *vestri* dicendum e quas de pronomine possessivo esse derivandas apparet. Ac primum, cur e radice ip genitivum *norum*, *vorum*, sive, quae antiquior fuit forma, *nosum*, *vosum* (cf. Bopp commentationes citatas p. 101.) fingere noluerint, difficile est dictu; alterum auter cur, quum genitivi forma deesset, eam a pronomine possessivo mutuati sint, videt explanari posse. Nam pronominum possessivorum significationem cum genitivi notior admodum convenire, quum per se pateat, tum usu et exemplis comprobari potes Graeci quidem, et Indi aliique populi pronomen possessivum cum genitivo eiusdei pronominis saepe commutaverunt. Dicitur enim ὁ ἐμὸς πατὴρ et ὁ ἐμοῦ πατὴρ. Idqu etiam apud Romanos reperitur in Plauti loco, quem Gellius XX, 6. e Pseudoli initi commemorat:

Si ex te tacente fieri possem certior,
Here, quae miseriae te tam misere macerant;
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi et *tui* respondendi mihi.

ubi Gellius haec addit: *mei enim Plautus hoc in loco non ab eo dicit, quoc est meus, sed ab eo, quod est ego. Itaque si dicere velis patrem mei, pro patrem meum, quo Graeci modo τὸν πατέρα μου dicunt, inusitate quidem, sec recte profecto eaque ratione dices, qua Plautus dixit labori mei pro labori meo* Haec ille. Quanta vero in universum in lingua latina pronominum genitivis cum eorum possessivis sit quasi necessitudo et cognatio, id pluribus Laurentius Valla in Elegant. lib. II. c. 1. exposuit. Conferendus etiam Scaliger de Caussis linguae latinae VI, 130., qui Ciceronem ad Curionem scripsisse commemorat: *Eam unius tui studio me assequi posse confido*, et in tertio de Oratore: *Vestrum omnium voluntati paruit*, et ad Brutum: *Vestris paucorum respondet laudibus*. Germani autem propter hanc notionum convenientiam e genitivis pronominum possessiva videntur derivasse. Nam, videsis, Gothorum pronomina possessiva et genitivi pronominum quantopere concinant. Possessiva sunt: singul. *meins*, dual. *ugkar*, plur. *unsar*; II. pers. *theins*, *igquar*, *izvar*; III. pers. *seins*; genitivi eorundem pronominum sunt I. pers. *meina*, *ugkara*, *unsara*; II. pers. *theina*, *igquara*, *izvara*; III. pers. *seina*. Atque in lingua sanscrita etiam genitivus pluralis pronominis utriusque *asmākam* et *juschmākam* cum possessivis cohaeret, id quod facile est argumentis comprobare. Duae enim in lingua sanscrita pronominum possessivorum extant formae: una, secundum quam *ijas*, *ijā* et *iji*, *ijam* ad pronominis radicem affigitur; altera, quae tantum in prima et secunda singularis numeri persona in usu est: ita efficitur, ut ad genitivum *kăs*, *kā*, *kăm*, syllaba

B

penultima producta, addatur: e *mama mei* fit *mamākas*, *mamāki*, *mamākam meus*, *a*, *um*; e *tava tavākas*, *i*, *am*, *tuus*, *a*, *um*. Eodem modo *asmākas*, *juschmākas* dici potuisse, quis est, qui infitias eat? Ea autem plurativi possessivi pronominis forma obsolevit, eiusque vestigia in uno genitivi utriusque pronominis plurali numero *asmākam*, *juschmākam* supersunt. Quemadmodum autem Indi, cum genitivus pluralis numeri deesset, pronominis possessivi formas adsciverunt: ita Romani quoque, quum genitivus pluralis in iisdem pronominibus nescio quo pacto intercidisset, ad pronomina possessiva confugerunt, et secundum formas *mei*, *tui*, *sui* etiam *nostri* et *vestri* dixerunt, (cf. supra Nr. 2.); et quum in constructionibus quibusdam, praesertim ubi is genitivus ponendus erat, quem vocant partitivum, certa pluralis numeri significatio videretur esse necessaria, etiam *nostrum* et *vestrum* formas factas esse arbitror. Longiorem etiam formam *nostrorum*, *vestrorum* in usu fuisse, declarat Gellius l. l., qui l. l. haec habet: *Multifariam scriptum est v e s t r o r u m pro v e s t r u m, uti in Plauti Mostellaria* (1, 3, 123.) *in hoc versu:*

Verum illud esse, maxima pars vestrorum intelligit,

quum vellet m a x i m a p a r s dicere v e s t r u m, etc.

§. 5.

DE PERSONAE TERTIAE PRONOMINE.

1) Quae extra primam personam, qua loquentem, et extra secundam personam, qua eum, qui audiat, significari supra diximus, posita sunt, tertia persona comprehenduntur. Huic personae significandae inservit apud Latinos pronomen *is*, *ea*, *id*. Hoc ita declinatur, ut aut *i* retineatur aut, inprimis, ubi vocalis littera accedit, *i* in *e* commutetur in *eius*, *ei*, *eum*, *eo*, *ea*. At quomodo factum est, ut *i* in *e* transierit? *I* litteram in declinatione primum in *ae* productam et in *ae* immutatam esse credo, eamque diphthongum, quod postera aetate ea lex valuit, ut vocalis ante vocalem brevis esset, id quod antiquitus non necessarium videtur fuisse, in *ĕ* correptam esse arbitror. Illius antiquioris scripturae vestigia adhuc restant in *aeius* pro *eius* (Orelli Inscript. Nr. 2866.) et *aei* pro *ei* (Orelli l. l. Nr. 39.). Etiam apud veteres poëtas *ei* longum habet *e* et *eii* scribitur. Lucret. II, 1134.

Nec facile in venas cibus omnis diditur *eii*.

Num in *ire* verbi coniugatione et in *deus*, quod e *dius* ortum est, (cf. Jahn's Jahrb. für Philologie und Pädagogik, zwölfter Band, 1830, p. 339 — 342.,) *i* eodem modo in *e* transierit, id hoc quidem loco non diiudicabo. *I* in pronominis declinatione antiquitus productum esse, confirmatur etiam indicae linguae consensu, in qua, ut infra

videbimus, eandem huius pronominis productionem reperiemus. Praeterea compara: dae sunt singulae formae accusativi, *im* et *em*, quarum altera a Festo in Excerptis Pa Diaconi exempl. Lindemanni p. 36. s. v. *calim*, altera ibid. p. 58. s. v. *em* est comm morata; et *emem* pro *eundem* ibid. p. 57., radice, ut in *quisquis*, repetita. Apud Goth hoc pronomen *is*, *si*, *ita* est. *si*, feminini generis forma, in lingua gothica in nominati tantum reperitur; ceteri vero casus feminini generis e masculini radice derivantur; s in aliis populorum germanicorum et veteribus et recentioribus linguis *si* etiam ad accus tivum formandum adhibetur, uti est in nostro pronomine *er*, *sie*, *es*. — Idem pron men Indorum lingua habet: *ajam*, *ijam*, *idam*; demta enim *am* vocula, quae ad ver vim augendam est addita, *à*, *ı*, *id* superest, quod cum latinis formis admodum congrui Etenim apud Indos quoque, ut in lingua latina factum esse supra vidimus, *i* in declina tione productum est. Eadem radix in *iti sic* extat, et in *iha hic*, quod proprie est *ith* uti e lingua zentica apparet. Simplex etiam linguae sanscritae pronomen superest in *i* quod ad *tscha* additum *tschaed*, particulam conditionalem, efficit. (Cf. Boppii Gramma linguae sanscr. §. 687.) Atque in Rig - Vedae specimine, nuperrime Londini a Ro senio edito, *im* etiam pro *eum* reperitur, et *id* neutrum, quod pronomini demonstrativ ut eius vis augeatur, subiungitur. In eodem antiquissimo linguae sanscritae monument *sim* pro *eam* dicitur, quae accusativi forma ita mihi explicanda videtur esse, ut etia Indos veteres, sicuti Germani fecerunt, ad feminini generis casus quosdam formando dicamus radicem, quae a *s* littera inciperet, adhibuisse. Eiusdem radicis haud scio a apud Romanos quoque vestigia reperiantur, eaque a grammaticis in pronominum nume rum recipienda sint. Nam *sam* pro *eam* dixit Ennius:

Nec quisquam philosophiam
In somnis vidit prius, quam *sam* discere coepit;

et *sapsa* pro *ipsa* idem Ennius:

Quo res *sapsa* loco sese ostentat;

et Pacuvius in Teucro:

Nam Teucrum regi *sapsa* res restibiliet.

(Cf. Festum in Fragmentis exempl. Lindemanni p. 253.) Neque solum feminini ge neris formas quasdam, ut Indi et Germani, verum etiam masculini ex hac radic derivarunt. Nam idem Festus in Fragm. p. 241. et p. 242. *sum* pro *eum* dixisse En nium Annalium libro I. commemorat:

At tu non, ut *sum*, summa servare decet rem;

et libro II. Et sese *sum* quae dederat in luminis oras;

et *sos* pro *eos*

libro I. Constitit inde loci propter *sos* dia dearum;
libro III. Circum *sos*que sunt magnae gentes opulentae;
libro VII. Cum censentur, terrere minis hortanturve *sos*;
et libro XI. Contendunt, Graios Graecos memorare solent *sos*.

Quibus ex exemplis apparet, etiam apud Latinos tantum nominativos et accusativos ex hac radice esse derivatos.

2) In hoc igitur pronomine proprie nulla nisi tertiae personae inest significatio. Sed quum veteres linguae ut primam et secundam, ita etiam tertiam personam cum verbi coniugatione coniungerent, ideoque minus necessarium esset, ut tertia persona proprio ac peculiari vocabulo significaretur, ac pro ea saepe etiam pronominibus demonstrativis uterentur, factum est, ut illud pronomen in aliis linguis maximam partem interiret, in aliis vero in singularem usum converteretur. Ita in latina lingua accidit. Apud illos enim *is* pronomen, quum id inprimis usurparent, si *qui* pronomen sequebatur, vim relativi pronominis accepit. Perverse enim egerunt ii, qui *is* inter pronomina demonstrativa retulerunt. Nam si demonstrativum esset, *ii homines, qui adsunt,* in *ii homines praesentes* recte mutari posset, id quod fieri nequit, quum *hi homines praesentes* dici possit. Et facile sentitur, quid intersit, utrum dicas *is, qui Caium occidit, aufugit*; an *hic, iste, ille, qui Caium occidit, aufugit*. *Hic* enim, *iste*, *ille* demonstrandi habet vim, *is* modo hominem aliquem, de quo aliquid praedicatur, significat. Quibus demonstratur, *is* pronomen ad praedicatum aliquod referri, et apud Latinos non immerito pronominibus relativis adnumerari posse, uti Priscianus fecit, apud quem XII. Institt. gramm. 1. §. 3. haec verba leguntur: *Tertiae personae alia sunt demonstrativa, ut hic et iste; a l i a r e l a t i v a, ut is, sui; alia modo demonstrativa, modo relativa, ut iste, ipse.* Differt autem *is* ita a *qui* pronomine relativo, ut *qui* ad subiectum referatur, quod extra hoc membrum, in quo *qui* inest, est positum et aut antecedit aut sequitur; *is* referatur ad praedicatum, quod extra membrum, in quo *is* inest, collocatum est.

3) Iam videndum est, an idem tertiae personae pronomen apud Graecos reperiatur. At quo magis veteres Graecorum grammatici in huius pronominis formis erraverunt, eo magis cavendum est, ne, dum perversas illorum sententias refellere conamur, in alios ipsi errores incidamus. Quum apud Graecos fere hoc pronomen totum intercidisset et paucissima eius vestigia servata essent, inter graecos grammaticos de eius forma non convenit. Alii enim ἵ, alii ἴ statuebant nominativum esse. Utrum verum sit, eo difficilius est ad diiudicandum, quod, qui unus commemoratur locus, in quo hoc pronomen extiterit, is adeo corruptus est, ut, nisi nova subsidia critica afferantur, vix

certa coniectura restitui posse videatur. Apollonius enim Dyscolus in libro de Prone mine p. 330. B. locum, e Sophoclis Oenomao petitum, affert hunc:

εἰ μὲν ὡςεὶ Θάσσοντα εἰδὼς εἰ τέκοι παῖδα,

in eoque pronomen tertiae personae, de quo agimus, inesse dicit. Eundem locum scho liasta Venetus ad Hom. Iliad. XXII, 410. ita habet:

ἡ μὲν ὡςεὶ Θάσσο· ἥδε ὡςὶ τέξου παῖδα.

Itaque locorum auctoritate nihil confici potest. E grammaticis ἷ formam habet Dionysius Thrax in Bekkeri Anecd. p. 640. l. 22. πρόσωπα πρωτοτύπων μὲν ἐγώ — σύ — eamque huius pronominis formam ter repetit; Theodosius de Grammat. exempl. Götling. p. 83. l. 22. ἑνικαὶ μὲν οὖν ἀντωνυμίαι εἰσὶν αὗται ἐγώ, σύ, ἵ, et l. 25. ἥδε ἵ τὸ τρίτο (πρόςωπον σημαίνει e sententiarum cohaerentia supplendum est) οἷον ἵ διαλέγεται ἀν τοῦ ἐκεῖνος διαλέγεται. Eadem forma legitur in Homeri Scholiis, (Bekkeri recen Tom. I. p. 20, 6, l. 32.) in quibus μίν ita explicatur: μίν· αὐτὴν ἀπὸ τοῦ τρίτου προ ώπου πρωτοτύπου ἐγώ, σύ, ἵ. τοῦτο γὰρ τὸ ἵ ὡς τρίτον βραχυνόμενον πρόςωπον ἐφέλκει ἔτυψε, ἔτυψεν, καὶ πλεονασμῷ τοῦ μ μίν. Lenis etiam spiritus in Etymologico Magr s. v. μίν: μίν ἀντωνυμία ἐστὶ τρίτου προςώπου πρωτότυπος· ἐγώ, σύ, ἵ. τοῦτο γὰρ τὸ ἵ, (τρίτον βραχυνόμενον πρόσωπον ἐφελκύσατο τὸ ν, κ. τ. λ.; et in eodem libro s. v. ὁ δεῖνι itemque in Etymologico Gudiano s. v. μίν, apud Favorinum, (cf. Dindorf. Gramm. g Tom. I. p. 294. l. 26.) et apud Arcadium, (p. 178, 20. exempl. Barkeri). — Asperum spiritum huic verbo praefigit scholiasta ad commemoratum Dionysii Thracis locum Bekkeri Anecdot. p. 916, 11., qui haec habet: τοῦ τρίτου προςώπου ἐστὶ τὸ ἷ καὶ σημαίν τὸ οὗτος ἢ ἐκεῖνος. καθ' ἑαυτὸ μὲν κείμενον εὑρέθη οὐδαμοῦ. ἔοικε δὲ ἀπὸ τῆς τῶν Ἀττικ χρήσεως εἰρῆσθαι παρὰ τούτῳ τῷ τεχνογράφῳ· ἐκεινοσί γὰρ λέγουσι καὶ οὑτοσί. Atque a citatum Theodosii locum Göttlingius e codice biblioth. Paris. 360. haec verba attuli πρόςωπα πρωτοτύπων μὲν· ἐγώ, σύ, ἵ. Habet etiam ἷ Maximus Planudes in Dialogo arte grammatica, (cf. Bachmanni Anecd. Tom. II. p. 66. l. 29.) τὸ ἐμεῖο, καὶ σεῖο, καὶ ε εἰ μὲν πρωτότυποί εἰσιν ἀντωνυμίαι ἀπὸ τοῦ ἐγώ, καὶ σύ, καὶ ἷ κλινόμεναι; ibid. 72, 4. ἀ τωνυμίαι, οἷον ἐγώ, σύ, ἵ; et Lascar. l. III. de Pronom. p. 344. τοῦ τρίτου προςώπου ὀνομαστικὴ κατὰ παλαιοὺς ἷ καὶ ὅς. Ad Homeri Iliad. XXII, 410.

τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιος, ὡς εἰ ἅπασα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης,

scholiastes Venetus commonet: τινὲς τὸ ὡςεὶ διὰ τοῦ ι γράφουσι καὶ δασύνουσιν ἀντ νυμίαν ἐκδεχόμενοι τρίτου προςώπου ὡς αὐτή; idque improbat, quod Homerus eo ver non sit usus, quo tamen argumento confitetur, ab aliis scriptoribus ἷ usurpatum es Priscianus quoque XIII, 2, 7. ex. Krehl. conferendus est, cuius haec verba sunt: *Quaer*

tur etiam illud, cur, quum apud Graecos tertia persona pronominum primitivorum et in singulari numero habeat nominativum Fi et in plurali (sive οἱ, quod codices quidam habent, sive σφεῖς hic inserendum est), *apud Latinos sui et nominativo deficit, et pluralia separatim non habuit.* Ibid. §. 8. *Apud Graecos nominativus supradicti pronominis, id est Fι, rarus est in usu.* Pluribus de hoc pronomine egit Apollonius Dyscolus, gravissimus in omni re grammatica auctor et subtilissimus. Sed codex, e quo Bekkerus eius librum de pronomine descripsit, fere accentibus et spiritus signis caret. (Cf. Bast ad Gregor. Corinth. p. 84. et Wolf in Mus. antiq. stud. p. 257. et Buttmann. Gramm. graec. max. §. 72. Nr. 3. adn.) Quapropter an Bekkerus p. 270. et p. 336., ubi Apollonius ι pronomen in relativis numerat, et p. 272., ubi trium generum esse dicit, et p. 329 — 331., ubi multis de hoc pronomine agit, spiritum asperum recte addiderit, de ea re ambigi potest. Sed p. 295., ubi ἵ cum τίς componit, et nonnullos credidisse narrat, τίς ex ι esse eodem modo ortum, uti ex οἷος τοῖος et ex ὡς τώς, non potest dubitari, quin Apollonius de illo pronomine cum spiritu aspero scripto cogitaverit. Quanquam igitur Apollonius ἵ formam tueri videtur, tamen sibi ipse non constat. Nam p. 330. voces ἰωρός et ἴος ex illo pronomine originem trahere dicit, neque tamen quidquam de accentus discrepantia commemorat; et ἵγνητες verbum ex eodem pronomine derivat et addit τῆς δασείας Ἀττικῶς προςελθούσης, quibus verbis huic pronomini spiritum asperum non esse proprium, satis superque declarat.

Itaque quum veterum grammaticorum de hoc pronomine sententiae aut ambiguae sint aut inter se contrariae, ipsi, quid sit statuendum, nunc videamus. Atque hoc primum ex omnibus apparet, hoc pronomen apud Graecos in usu quidem fuisse, sed tam raro, ut unus de grammaticis illud tantum in fine pronominum οὑτοσί et ἐκεινοσί locum habere contendat, praeterea non se invenisse fateatur. Recte autem hoc pronomen cum spiritu leni scribi, ceterarum linguarum consensus satis comprobat. (Cf. Nr. 1.) Qui tamen factum sit, ut multi grammatici hoc pronomen, cuius usus ipsorum aetate plane evanuerat, et cuius vestigia in paucissimis tantum locis magis coniectura divinari, quam certo intelligere poterant, a spiritu aspero incipere crederent, in promptu est. Etenim hoc ι nominativum pronominis reciproci sive, ut nostri grammatici dicunt, reflexivi, eiusque casus obliquos οὗ, οἷ, ἕ esse putabant, et quem hi casus spiritum habent, eundem ad nominativum quoque transferebant. (Cf. Apoll. Dysc. de Pronom. 270. ἀντωνυμίαι ἀναφορικαὶ ἢ τε ἵ, οὗ, οἷ, ἕ, et p. 229. ι ταύτην οἱ μὲν φασι παράλογον, ὅτι οὐ διὰ τοῦ ῦ· ἀποβολῇ γὰρ τοῦ σ τὰς κατὰ τὸ τρίτον ἀποτελεῖσθαι σοῦ — οὗ, σός — ὅς. Atque ad eam opinionem etiam pronominis reciproci dativo ἵν, quem Apollonius Dyscol. p. 366. commemorat, adducebantur, quae forma nominativum

ἴ suadere videbatur, de qua voce vide §. 17. Hanc veterum grammaticorum sente tiam ita Hermannus, Thierschius, Buttmannus secuti sunt, ut aliquid sibi egisse vid rentur, quum pronominis οὗ, οἷ, ἕ declinationi nominativum ἴ adderent. At illi nc reputaverunt, pronomen reciprocum nominativum habere non posse, quo casu cur d ficiat, §. 6. Nr. 2. explicabitur. Contra, quum tam multae res ἴ scripturam comme darent, nisi revera ἴ pronomen, id quod nunc linguarum cognatarum consensu con probatum est, extitisset, omnino intelligi non posset, qui factum esset, ut grammati quidam in ἴ formam inciderent. Quibus argumentis ἴ tertiae personae antiquum fuis pronomen, convincitur, cum eiusdem personae pronomine in ceteris linguis co gruum.

4) Iam qui ἴ pronominis casus supersint, videndum est. Atque si apud Hesychiu s. v. ἴν additum est, αὐτήν, αὐτόν· Κύπριοι, et si apud eundem εἶν per ἐκεῖνος (forsit ἐκεῖνον scribendum sit) explicatur, hos pronominis nostri accusativos esse, patet. Q accusativi ab ἕ ita differunt, ut ἕ *se*, ἴν *eum* significet. Haec accusativi forma ap neminem scriptorum servata esse videtur. Nam quem locum Ibyci Hartungus p. 11 affert, eum non, ut ille vult, ἦ μὰν τρομέω γ' ἴν ἐπερχόμενον, sed quum in codice τρ μέων ἴν scriptum sit, τρομέω νιν scribendum esse, puto. Eundem accusativum Herma nus et Thierschius Pindaro vindicare voluerunt. Apud quem si vere extitisset, Hes chius eius formae explicandae caussa, credo, ad illius, ut celebrati poëtae, non Cypriorum auctoritatem provocasset. Alios autem casus ignoro, nisi forte ἄν part culam cum hoc pronomine cohaerere dixeris. Nam quum in ceteris linguis *i* litte quae huius pronominis radix est, admodum variet, ἄν possit eius esse locativus, (§. 17.) qui significet, *eo modo, ea via ac ratione*, quod cum huius particulae sensu a que usu admodum congruit, neque ab eo tam alienum est, quam si quis cum Herman atque Sommero hanc particulam ex ἀνά praepositione ortam esse putaverit. Denique ἰ Tryphon, ἰωρός Apollonius, ἴδιος Hartungus ex hoc pronomine derivare voluerur quanquam equidem haec verba ad ἴ pronominis radicem pertinere non pro certo affi maverim.

5) Illud tamen confiteor, quum grammatici quidam doctissimi ἴ pronomen comm morent, me credere, hoc quoque extitisse verbum, neque tamen tertiae personae, s pronomen demonstrativum ac relativum fuisse. Nam sicuti e τός facta sunt ὅς et ὁ: i e τίς, quod proprie eandem, quam τος, videtur habuisse significationem, potuit. (Cf. de tota hac re §. 7. et 8.) Id haud scio an Lascaris loco su rato confirmet: τοῦ τρίτου προσώπου ἡ ὀνομαστικὴ κατὰ παλαιοὺς ἴ καὶ dicem ἵνα pertinet, quod item et demonstrativam et relati

relativa quidem eius verbi vis satis nota est, demonstrativa autem perspicua ex Hom. Il. κ. 127.: Ἶνα γάρ σφιν ἐπέφραδεν ἠγερέεσθαι.
(Cf. §. 25.) Idem pronomen in ἔνθα et ἔνθεν inesse videtur, quorum verborum priores syllabae non sunt habendae pro praepositionibus, ut multi fecerunt, sed sunt pronominis alicuius locativi, de quibus plura vide §. 17. Quomodo enim accidisse fingamus, ut praepositio composita cum syllaba aliqua, quae item fere praepositionis alicuius vim habet, demonstrativi et relativi accipiat significationem, quam ἔνθεν et ἔνθα habere constat. (Cf. §. 25.) Eaque pronominis natura apparet etiam e longioribus horum verborum formis ἐντεῦθεν et ἐνταῦθα. (Cf. §. 8.) Nam quod ἔνθεν et ἔνθα cum spiritu leni pronuntiantur, id nihil impedit, quo minus ea ex ἵ radice orta statuamus; spiritus enim asper propter sequentem litteram asperatam in lenem est mutatus, ut in ὄφρα, ἔχω aliisque factum esse scimus. Huc etiam referendum illud Rhodiensium ἴγνητες; significat enim αὐθιγενεῖς, i. e. *hoc in loco natos*; quod verbum si recte ex hoc pronomine natum esse contendimus, ἰθαγενής quoque ἵ pronominis vestigia retinere arbitror. Nam θα, sicuti ad locativum in ἔνθα addi potuit, ita etiam ad ipsam radicem ἵ, cuius spiritus asper item in lenem transire debuit; explicatur autem hoc verbum ab Hesychio per αὐτόχθων, idemque est, quod ἴγνης *hoc in loco natus*. Quapropter non est dubitandum, quin ab ἵ, pronomine demonstrativo, non ab ἵ, tertia persona, sit derivandum. Eustathius ad Hom. Odyss. XIV, 203. cum hoc verbo Ἰθαμένης, nomen proprium, comparat, quod eodem modo factum est; significat enim, *qui hoc in loco manet atque permanet, virum constantem*. Quo magis est perspicuum subtilius quam verius, de ἰθαγενής verbi origine disputavisse Eustathium l. l., qui haec habet: ὁ ἐκ τῆς κατ' ἰθύ, τουτέστι κατ' εὐθύτητα νόμου, γενήσεως, καὶ μὴ πλαγίως πως τῷ γένει ἐπεισαγόμενος. λέγεται δέ ποτε ἡ λέξις καὶ ἐπὶ πολιτῶν αὐτοχθόνων.

6) Pronominibus tertiae personae apud Graecos μίν et νίν accusativi sunt adnumerandi. Ac quomodo μίν veteres grammatici ex ἵν et μ littera praeposita natum esse statuerint, id supra Nr. 3. est a me dictum. Illud enim grammaticorum commentum esse, patet; sed quaenam sit huius vocis origo, quomodo et singularem et pluralem omnis generis numerum indicare potuerit, et qua ratione μίν, quod Dores et Iones dicebant, in νίν transierit, eius rei me nullam afferre posse rationem, fateor. Hoc unum commemorare lubet, propter μίν particulae usum videri factum esse, ut in dativo primae personae Dores, quantum equidem sciam, nunquam dicerent μίν, sed semper ἐμίν.

§.

§. 6.

DE PRONOMINE RECIPROCO οὗ, οἷ, ἕ etc., SUI, SIBI, SE, SUUS.

Postquam de trium personarum pronominibus egimus, par est, statim ad i pronomen transgredi, quod primitivum tertiae personae pronomen esse, grammati plerumque credunt, quum, ut ego arbitror, pronomen sit reciprocum vel relativun vel, ut saepe vocatur, reflexivum, quod in aliis linguis ad omnes personas, in ali ad tertiam tantum personam referatur.

1) Atque, ut a formis exordiamur, una ad hoc pronomen in utraque lingua radi adhibita est, id quod non difficile est ad comprobandum. Quod quo melius intelliga tur, primum cognatarum quarundam linguarum formas lubet afferre. Apud *Gotho* enim hae huius pronominis sunt formae: genit. *seina*, dativ. *sis*, accusativ. *sik*, posses siv. *seins*.

Apud *Lettos*: genit. *ſewis*, dativ. *ſew*, accusat. *ſew*, possessiv. masc. *ſaws*, fem *ſawa*, et ex eadem radice proficiscitur *ſewis ipse*.

In lingua *polonica* genitiv. *sibie*, dat. *sobie*, etc., possessiv. masc. *swey*, fem. *swoja* neutr. *swoje*.

In lingua denique *sanscrita* pronomen reciprocum deest, sed eius pronomen pos-sessivum superest *swăs*, *swā*, *swăm*, et pronomen indeclinabile *swăjăm ipse*.

Quae si inter se comparaveris, *su* sive *sv* huius pronominis radicem esse, perspicuun est. Eaque radix etiam in *latina lingua* reperitur. Eaedem enim litterae in *sui* et *suu* insunt; in *se* *u* littera eiecta, in *sibi* aut eiecta aut in *i* litteram mutata. Etiam in *suu* *u* littera interdum excidit. Festus enim *sam* pro *suam* dictum esse commemorat (ii Excerptis Pauli Diaconi p. 36. exempl. Lindem.), et *sos* pro *suos*, et dativo casu *sis* pr *suis* in Ennii versu *lumina sis oculis* (ibid. p. 141.) et *sas* pro *suas* (p. 146.) apuc Ennium: Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet *sas*.

Atque apud *Graecos* quidem primum omnes pronominis reciproci formas, quae a σφ incipiant, *σφίν*, *σφέ*, *σφωέ*, *σφωϊν* et *σφωϊ*, *σφεῖς*, *σφέα*, *σφῶν*, *σφίσι*, *σφᾶς*, *σφός*, *σφέτε-ρος* et *σφωΐτερος*, eiusdem atque *sui* et *suus* etc. esse originis, in aperto est. Nam *υ* litte-ram vocali insequente in *φ* transire, iam supra §. 4. Nr. 5. vidimus, idque, qui cognitum habent, quomodo hodie Graeci *υ* pronuntient, non mirabuntur. Deinde ceteras quoque eiusdem pronominis formas οὗ, οἷ, ἕ et possessivum ὅς et ἑός, ex antiquiore ista radice a σφ incipiente, manavisse, cum propter significationis consensum verisimile sit, tum ex aliis rebus manifestum est. Litteras enim quasdam ante οὗ, οἷ, ἕ formas [illegible] poëtarum et prosae orationis usus convincit. Nam apud poëtas, Homerum in[illegible]

haec verba et hiatus saepe reperitur et vocalis brevis, una consona subsequente, producitur, atque apud Atticos ante ea neque οὐ particula in οὐχ mutatur, neque ν ἐφελκυστικόν ponitur. (Cf. Buttmanni Gramm. gr. max. §. 72. adn. 6.) Reperiuntur etiam nonnullae huius pronominis formae, digamma aeolicum quae aperte habent. Apud Hesychium enim Ϝίν per σοί explicatur, γὶν autem dictum est pro ἵν, pronominis reciproci dativo, (cf. §. 5. Nr. 3. et §. 17.) et Ϝιό per αὐτοῦ et Ϝῷ per ἑαυτῷ, ἰδίῳ καὶ σῷ; quae formae quomodo etiam alteram personam σοί, σῷ significare potuerint, infra Nr. 3. exponemus. Duplex autem est ratio, qua σφ litteras intercidisse dicas. Nam quum pro σφίν Callimachus φίν dicat H. in Dian. 125.

κτήνεά φιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη.

et 213. — — ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι

δέξιτεροί.

et Fragm. 183. ἢ ἄφαρον φαρόωσι, μέλει δέ φιν ὄμπνιον ἔργον.

contendi possit, σ antiquitus ubique omissum, φ autem in spiritum asperum esse mutatum. Aut etiam, id quod mihi magis probatur, υ littera primum in ι, deinceps in ε est mutata, et nonnullis in formis plane interiit. ι superest in Ϝιό pro οὗ dicto, quod cum secundae personae genitivis τίος, τίους, τίω, τίως congruit. ι autem in hac declinatione in ε transiisse, difficilius est comprobatu propter similitudinem, quae inter primae et secundae personae declinationem intercedit. Nam σέο et τέο et ἕο, σεῦ et εὗ, σεῖο et εἷο, σέθεν et ἕθεν congruunt cum ἐμέο, ἐμεῦ et ἐμεῖο, et ἐμέθεν. Verumtamen τεοῦ et τεοῖο et τεεῦς, τεοῦς, τεΐν, et ἑοῖο, ἑοῦς, ἑοῖ, ἑΐν, ἑέ et ἑός commode explicare nequeas, nisi υ litteram, quae in pronominis secundae personae et pronominis reflexivi radice inest, in ε esse conversam statuis. Idque magis etiam perspicuum est, si ἑαυτοῦ, ἑαυτῆς, ἑαυτοῦ pronomen comparas. Nam si ε in pronominis reciproci formis ad declinationem, non ad radicem pertineret, omnino intelligi non posset, quomodo Graeci eadem vocali, tanquam verbi radice, in illa vocabuli compositione uti potuissent. Deinceps ε littera in nonnullis formis sive cum insequenti vocali coaluit, sive plane excidit, uti factum est in οὗ, εὗ, οἷ, ἶν, ἕ, et ὅς, et αὐτοῦ, αὐτῆς, αὐτοῦ, etc. Quae quum ita sint, apparet, υ in plerisque formis in ε mutatum esse, σ autem, quae altera radicis pars est, apud ceteros Graecos in spiritum asperum, apud Aeoles in digamma transiisse. Atque, ut uno exemplo sententiam nostram magis perspicuam reddamus, σφίν cum ἑΐν ita congruit: pro σ littera spiritus asper, pro υ sive φ littera ε est positum, et ἑΐν ortum. Ϝ autem littera eiecta, apud ceteros Graecos ἶν, apud Aeoles, qui pro σ littera digamma praeposuerunt, Ϝίν formatum est. Boppius vero, (Vergleichende Zergliederung, 1824, p. 5.) ut cum sv, radice indica, usitatas Graecorum formas οὐ, οἷ,

ἓ et ὅς cohaerere ostenderet, recte contulit sanscritum *svâdus*, i. e. *gratus, dulcis*, (Romanorum *suavis* pro *suadvis* dictum, quocum cohaeret *suadere alicui aliquid*, i. e. *gratum reddere*) et graecum ἡδύς, cui adde indicum *çvaçuras socer* et graecum ἑκυρός, quod item digamma antiquitus habuisse, ex Hom. Iliad. γ, 172. cognoscitur:

αἰδοῖός τέ μοι ἐσσὶ, φιλὲ ἑκυρέ, δεινός τε,

et indicum *svidjami* (*sudare*) et Graecorum ἰδίω.

2) Deinde dicendum est, cur apud Latinos hoc pronomen nominativo careat, in singulari tantum numero reperiatur neque singula genera habeat, quod eo magis videtur exponendum esse, quod idem pronomini reciproco in lingua germanica, in slavica et lettica accidit. Nominativus autem hanc ob caussam deest. Pronomen reciprocum ad subiectum agens refertur pendetque semper ex aliena notione. Eum igitur casum habere non potest, nominativum videlicet, qui solus ex aliena notione non pendet. De Graecorum nominativo plurativi σφεῖς cf. infra Nr. 5. Cur vero et numerus pluralis et certae singulorum generum notae deficiant, eius rei caussam Priscianus exposuit XII 1, 2. exempl. Krehl. *Tertia, quae est* s u i, s i b i, *se, a* s e *non solum genera, sed etiam numeros confundit; nec mirum, nam quum relativa sit, ex antecedente cognitione possumus, ad quod genus vel numerum refertur, scire.* Nihilominus easdem et generis et numeri notiones, quanquam eae iam ex antecedente nomine cognosci et concludi possunt, tamen non plane absonum est addere. Id, quorum lingua est feracissima, Graeci in numero fecerunt; habent enim pronominis reciproci et duales et plurales formas. Attamen apud Graecos quoque antiquitus singularem tantum numerum in usu fuisse credo. Quomodo enim accidisse putamus, ut eae formae pronominis reciproci quae dualis et pluralis numeri sunt, σφωέ, σφωΐν, σφεῖς, σφῶν, σφισί, σφᾶς, σφέα, nonnisi ad dualem et pluralem referantur; omnes vero formae, quae ad singularis numeri declinationem pertinent, οἷ et σφίν, ἓ et σφέ, ὅς et σφός, uno genitivo οὗ excepto, cum omni numero coniungantur? Ita οἷ cum plurativi tertia persona in Orphei Argon. 497. construitur:

οὕνεκά οἱ πλώουσιν ἀνὰ πλατὺν Ἑλλήσποντον

εὔδιος ἀντεβόλησε μυχοῦ ἔντοσθε γαλήνη. i. e. *αὐτοῖς πλώουσιν*,

et ibid. 776.

οὔ οἱ Μινύῃσιν ἐφήνδανε πᾶσι νέεσθαι, i. e. ipsis Minyis;

cf. praeterea ibid. 687. et 528. et 1301.

σφίν etiam pluraliter dicitur Hom. Il. V, 195.

παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι

ἑστᾶσι. i. e. *παρὰ δίφροις, ἑκάστῳ*,

et Orph. Argon. 1241.

τοίῳ σφι λυθρῷ πεπαλαγμένοι ἐστέ.

quo in loco σφι ad pluralis numeri personam secundam relatum est.
et ἑ cum plurali constructum est apud Homerum: Hymn. in Vener. 268.

τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάται, ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ
καλαί, τηλεθάουσαι, ἐν οὔρεσιν ὑψηλοῖσιν
ἑστᾶσ' ἠλίβατοι, τεμένη δὲ ἑ κικλήσκουσιν
ἀθανάτων.

et σφέ cum singulari compositum Aesch. Pers. 194.

πίπτει δ' ἐμὸς παῖς καὶ πατὴρ παρίσταται
Δαρεῖος οἰκτείρων σφε.

et pro αὐτήν apud eundem in Eumenid. 580.

εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον.

Dualis numeri exempla sunt apud Hom. Il. XI, 111.

καὶ γάρ σφε πάρος παρὰ νηυσὶ θοῇσιν
εἶδεν, i. e. ipsos, de duobus enim sermo est.

et Odyss. XXI, 192.

φθεγξάμενός σφ' ἐπέεσσι προςηύδα μειλιχίοισι,

σφέ bubulcum et subulcum; et apud Hesiod. Scut. 62.

κόνις δέ σφ' ἀμφιδεδήει, Cycnum et Martem.

σφέ apud Homerum semel tantum cum plurali componitur Il. XIX, 265., apud tragicos poëtas autem multa possunt cumulari exempla, cf. Aesch. Sept. 612.

Ζεύς σφε κάνοι κεραύνῳ, ibid. 721., 770., 993.

σφός et ὅς item ad omne genus referuntur, cuius usus multa ubivis leguntur exempla. Haec autem constructio ita est orta, quod ab initio apud Graecos quoque singularis tantum numerus pronominis reciproci in usu erat. Fuerunt quidem, qui litterarum initio adducti σφίν, σφέ, σφός pluralis numeri formas esse crederent, easque ita, ut ἄμμιν et ὔμμιν, ἄμμε et ὔμμε, atque ἡμός et ὑμός (cf. §. 4.) factas arbitrarentur. At primum intelligi non potest, quomodo, si horum verborum propria fuit plurativi significatio, ea cum singulari et duali coniungi potuerint. Deinde σφίν et σφέ cum ἄμμιν ὔμμιν et ἄμμε ὔμμε non recte comparantur. Vidimus enim, ἄμμιν et ἄμμε singularis numeri declinationem habere propterea, quod alia ad singularem, alia ad pluralem adhibeatur radix, (cf. §. 4. Nr. 2.); in pronomine autem reciproco eadem in singulari, quae in ceteris numeris, usurpatur radix, (cf. supra Nr. 1.). E quibus colligi licet,

σφίν esse eiusdem numeri dativum, cuius ἐμίν mihi, τίν tibi, et σφέ eodem iure, qu ἐμέ et σέ in singularis numeri formis esse reponendum. Et uti ex ἐμοῦ et σοῦ facta sun ἐμός et σός, ita ex ΣΦΟΥ radice, σφός singularis numeri possessivum manavit.

3) At qui fieri potest, ut pleraeque graeci pronominis reciproci formae non solun cum tertia, verum etiam cum prima et secunda persona coniungantur, eademque voca bula ad primam personam relata *nobis*, *nos*, *mihi*, *me*, ad alteram *vobis*, *vos*, *tibi*, *t* significent, et idem fere usus pronominis possessivi sit, ut σφός, ἑός, ὅς cum prima per sona coniuncta *meus* et *noster*, cum altera *tuus* et *vester* indicent?

a) Hunc loquendi usum paucis exemplis confirmasse satius erit. Ac primae qui dem personae exempla leguntur apud Apoll. Rhod. II, 635.

αὐτὰρ ἔγωγε
εἷο μὲν οὐδ' ἠβαιὸν ἀτύζομαι.

(Cf. Gerhard Lect. Apoll. p. 93.) Apud eundem III, 99. Cypria loquitur:

μετέπειτά γ' ἀτεμβοίμην ἑοὶ αὐτῇ.

et Orph. Argon. 892.

δὴ τότε οἱ κατὰ θυμὸν ἐμηδόμεθ', i. e. apud animum nostrum.

ibid. 1270. δὴ τότε οἱ πλώοντες ἐπέσχομεν οὐ μάλα τηλοῦ
προβλῆτα σκόπελον.

(Cf. Hermann. ad Orphica p. 796.) Apoll. Rhod. II, 1278.

ὥρη δ' ἡμὶν ἐνὶ σφίσι μητιάασθαι
εἴτ' οὖν μειλιχίῃ πειρησόμεθ' Αἰήταο.

Hom. Odyss. XIII, 320.

ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἔχων δεδαϊγμένον ἦτορ
ἠλώμην, i. e. *meis praecordiis.*

Apoll. Rhod. IV, 1015.

μηδέ με Κόλχοις
ἐκδώῃς ᾧ πατρὶ κομιζέμεν, i. e. *patri meo.*

Moschus Idyll. IV, 77.

μηδέν σε χερειότερον φρεσὶν ᾗσι
στέργειν, *me te animo meo non minus amare.*

Ac secundae quidem personae exempla sunt apud Apoll. Rhod. I, 893.

ῥηϊδίως δ' ἂν ἑοὶ καὶ ἀπείρονα λαὸν ἀγείραις
ἄλλων ἐκ πολίων.

i. e. *tibi*; scholiasta autem addit: οὐκ εὖ δὲ ἔθηκεν τὸ ἑοί. ἔστι γὰρ τρίτου προσώπου δηλωτικόν.

Eiusdem personae exemplum extare credo apud Hesiodum Ἔργ. 56. Nam quum codices σοί τ' αὐτῷ eo in loco habeant, Apollonius autem Dyscolus σφὶν δ' αὐτοῖς ab Hesiodo scriptum esse in libro de Pronomine p. 403. 6. commemoret, credo genuinam scripturam esse

χαίρεις πῦρ κλέψας,

σφὶν δ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισιν.

Apollonius enim hanc scripturam immutasse videtur, ne σφίν, quod pluralis numeri putabat esse, ad singularem numerum referretur. Sententia autem est optima, *et tibi damnum et posteritati*, simili fere modo enuntiata, quo Homerus Il. III, 50. dixit:

πατρί τε σῷ μέγα πῆμα, κατηφείην δὲ σοὶ αὐτῷ.

Confer praeterea Orphic. auct. 1242.

ἀλλά οἱ αὐτίκ' ἐγὼ πρόφρων ξεινήϊα πέμψω, i. e. *vobis*.

Hom. Iliad. X, 398.

φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν.

ibid. XIX, 174.

σὺ δὲ φρεσὶν ᾗσιν ἰανθῇς.

Odyss. I, 402. κτήματα δ' αὐτὸς ἔχοις καὶ δώμασιν οἷσιν ἀνάσσοις.

Nonnulli codices perperam habent δώμασι σοῖσιν, et recte scripsit Göttling in Hesiod. Op. 391. σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶν ᾗσιν

ὧδ' ἔρδειν.

Nonnulli enim codices σῇσιν habent.

His quidem exemplis multa ex Pindaro, Theocrito aliisque addi possunt; eorum autem multo maior cumulus congeri posset, nisi multi loci, a librariis veteris usus ignaris, essent immutati, uti in locis nonnullis commemoratis tentatum ac factum esse vidimus. Nimirum iam Aristarchus eos Homeri locos, in quibus ad primam secundamque personam pronomen reciprocum erat relatum, qui leni correctione mutari poterant, mutavit; quae autem tali correctioni repugnabant, pro interpolatis habuit; eiusque exemplum alii secuti sunt. (Cf. scholiastam ad Hom. Il. λ, 142. et κ, 397 — 399. et Wolf in Homer. Proleg. CCXLVII.) Sed poëtae quidem epici hunc loquendi usum servarunt et ad seram aetatem transtulerunt, idem vero apud scriptores prosaicos abolevit. Attamen eundem in verbo, quod e pronomine reciproco et voce αὐτός compositum est, in ἑαυτοῦ, ἑαυτῆς, ἑαυτοῦ retinuerunt, idque vocabulum saepissime cum prima et secunda persona coniunxerunt. Cf. Soph. Electr. 277.

κἀπικωκύω πατρὸς

τὴν δυστάλαιναν δαῖτ' ἐπωνομασμένην

αὐτὴ πρὸς αὑτήν, *i. e. apud me*.

Plato Phaed. p. 155. §. 91. exempl. Heind. ὅπως μὴ ἐγὼ ὑπὸ προθυμίας ἅμα ἐαυτό τε καὶ ὑμᾶς ἐξαπατήσας οἰχήσομαι. Demosth. Olynth. I. ab init. εἴπερ ὑπὲρ σωτηρία αὑτῶν φροντίζετε, ita Hieron. Wolf. Menander in Stob. Floril. Grot. VII, p. 47.

ὅταν τι πράττῃς ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα
πρόβαλλ' ἑαυτῷ.

(Cf. Herm. ad Soph. Trach. 451. Viger. exempl. Herm. p. 165.)

b) In hunc autem loquendi usum, qui per se mirus videri debet, multosqu grammaticos vexavit, quomodo Graeci inciderint, id propterea mihi altius videtu repetendum esse, ut, ea re plane cognita et perspecta, editores veterum auctorum e magis a mutandis et corrigendis iis locis, quae a communi ac maxime trito dicen modo recedere ipsis videntur, manus abstineant. Qui de ea re scripserunt, pronome reciprocum antiquitus tertiae personae proprium fuisse crediderunt, posthac illud a primam alteramque personam translatum esse eiusque vim ac potestatem quasi exten tam et dilatatam esse dixerunt. Id ego plane secus factum esse statuo, quod ex in genio et sentiendi cogitandique ratione, qua homines in primis illis temporibus, qui bus lingua humana nata est, utebantur, satis demonstrari potest et explanari. Il enim, qui simplice et rudi vitae genere utebantur, nihil aeque, quam ea, animadver tebant atque curabant, quae ad ipsos vim aliquam habebant. Itaque in omnibu quae agebant, illud inprimis intuebantur, an actio ad ipsos esset referenda et qua reciprocaretur, eamque notionem voce et lingua, utpote quae est animi humani imag exprimere conabantur. Itaque ii populi, qui nobiscum e communi quadam stirp profecti sunt, non solum in verbis *genus*, quod vocatur *medium*, invenerunt, quo actio nem ad subiectum agens referri et vim reciprocam habere significarent, verum etiam pronominis formam quandam excogitaverunt, qua ad idem nomen agens sententiam referendam esse declararent, id quod vocamus pronomen reciprocum. Atqui null potest caussa indagari, cur antiquitus tertiae tantum personae, non omnium, prono men reciprocum repertum esse putemus. Omnium enim personarum, non tertiae so lius, quae sentiant, aeque interest, idque omnes exprimere studuisse credibile est. I usum autem omnium personarum unum tantum pronomen invenerunt propterea, quo ex antecedente nomine, quaenam persona intelligenda esset, cognosci potuit. Atqu quod modo, ratione ducti, statuimus, pronomen reciprocum omnibus personis signifi candis antiquitus inservisse, id etiam plures linguae satis testificantur. In lingua bo lonica et lettica hoc pronomen eiusque possessivum ad omnes personas refertur his linguis usu tritum et communi consuetudine receptum est. In lingua sa monuimus, pronomen reciprocum ipsum quidem, nescimus quo pacto, in

eo usurpatur *âtman anima*, quod ita pronominis reciproci vicem explet, ut item et ad primam et ad secundam et ad tertiam personam referatur. Et, quae a pronominis radice proficiscuntur, *svajam ipse*, et *svas*, *svā*, *svam suus*, *a*, *um*, ad omnes personas referuntur. Etiam bengalico *apono*, quod vim reciprocam habet, et *meus*, *tuus*, *suus* et *noster*, *vester* exprimuntur. Illud autem animadvertendum est, vim huius pronominis reciprocam nunquam interire. Nam id etiamsi primam secundamve personam indicet, tamen semper eiusdem personae significatio sive in eodem membro inesse, sive paullo ante extare debet.

c) Atque ut omnem rem difficiliorem absolvisse videamur, separatim etiam de reciproci possessivo est dicendum. Et quomodo *σφός*, *ἑός* sive *ὅς* et singularis et pluralis numeri notionem accipere et ad omnes tres personas referri potuerit, ex iis, quae huc usque exposuimus, cognitum et intellectum puto. Alia *σφέτερος* pronominis possessivi est ratio. Hoc enim, si *ἡμέτερος* et *ὑμέτερος* comparas, pluralis numeri proprium esse credibile est. Quare quum nihil possit offendere, si *noster* et *vester* significat, idem tamen ad singularem quoque numerum referri mirum est. Cf. Theocr. XXV, 163. *ὥςεί περ σφετέρῃσιν ἐνὶ φρεσὶ βάλλομαι ἄρτι*, *mente mea*.
ibid. XXII, 67.

σφετέρης μὴ φείδεο τέχνης, *arti tuae noli parcere.*

et Hesiod. Scut. 90.

ὃς προλιπὼν σφετερόν τε δόμον σφετέρους τε τοκῆας
ᾤχετο,

ad quem locum cf. Heinrich, et Aristot. *Περὶ κόσμου* exempl. Bekker tom. I. p. 398. B. 33. *δῆλον γάρ, ὅτι τὸ μὲν νηκτὸν ἀλλόμενον εἰς τὴν ἑαυτοῦ δίαιταν ἐκνήξεται, τὸ δὲ χερσαῖον εἰς τὰ σφέτερα ἤθη καὶ νόμους διεξερπύσει.*

Sed quum *σφός*, *ἑός*, *ὅς* pro unoquoque numero Graeci usurparent, facile hoc sibi eos persuasisse credo, etiam *σφέτερος* ad unumquemque numerum referri posse. Quid quod? ille amplus pronominis reciproci usus quum sera aetate magis virorum doctorum memoria retineretur ac servaretur, quam loquentium ore ac sermone, accidit, ut etiam *σφωΐτερος*, quod proprie est dualis numeri, ab Apollonio Rhodio pro singulari tertiae secundaeque personae numero usurparetur, quo fit perspicuum, Apollonium ipsum, quae horum pronominum vera esset ratio ac natura, non intellexisse. Cf. III, 395.

εἴτ' οὖν Σαυρομάτας γε λιλαίεαι, εἴτε τιν' ἄλλον
δῆμον σφωϊτέροισιν ὑπὸ σκήπτροισι δαμάσσαι.

et

et 335. — — οὕνεκεν ἀλκῇ

σφωϊτέρῃ πάντεσσι μετέπρεπεν Αἰολίδῃσιν.

Cf. eund. III, 227. et 600. I, 643.

d) Duae autem videntur caussae fuisse, quibus effectum est, ut ille amplus pronominis reciproci usus in aliis linguis coarctaretur, in aliis hoc pronomen tertiae personae maneret reciprocum. Primum enim, quum hominum ingenium et ratio sensim excoleretur, illique magis, quae in universum acciderent, quam quae ipsorum afficerent corpus animumve, considerarent, lingua quoque eorum ingenium secuta est, neque tam studiose, quam antea, actionum vim reciprocam expressit. Deinde in iis locis, ubi primae secundaeque personae pronomen reciprocum necessarium erat, etiam pronomen primae et secundae personae primitivum usurpari potuit, idque eo lubentius fecerunt, quod pronomen reciprocum interdum ab auditore ad aliud, atque loquens voluit, nomen referri et perperam intelligi potuit, id quod in pronomine personali nunquam accidere potuit. Nam in Homeri versu Il. XI, 142.

νῦν μὲν δὴ οὗ πατρὸς ἀεικέα τίσετε λώβην,

οὗ ut intelligamus, antecedentia accurate debemus considerare, quum ὑμετέρου per se intelligatur. Et Il. X, 398.

φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν,

si μεθ' ὑμῖν dicebatur, id non potuit esse ambiguum. Plane aliter in tertiae personae pronomine res se habet. Nam ad tertiam personam accurate et perspicue significandam pronomen reciprocum admodum est necessarium. Tertia enim persona quum omnia enuntientur, quae primae et alteri personae sunt opposita, quumque ea multa sint ac varia, maximum est perspicuitatis adiumentum, si tertiae personae pronomen reciprocum lingua aliqua habet. Etenim nisi diversae essent formae, quae et tertiae personae pronomen primitivum et eius reciprocum indicarent, discrimen, quod est inter *vulneravit eum* et *vulneravit se*, omnino non posset exprimi, et summa ubivis sententiae oriretur obscuritas. Propter hoc orationis commodum etiam in iis linguis, in quarum monumentis nulla antiqui latioris usus vestigia supersunt, tertiae personae pronomen reciprocum retentum atque servatum est, tertiaque persona eius usum totum sibi vindicavit.

e) In latina lingua latior ille usus pronominis reciproci plane periit; pauca tamen supersunt vestigia, e quibus, quam vera sint, quae de antiquissima eius potestate diximus, potest perspici. Etenim *ipse*, quod cum omnibus personis coniun[illegible] us recte e pronomine tertiae personae *is ea id* et *sv*, reciproci radice, compo[illegible] t. Transpositae quidem litterae *pse* pro *sv* sive *sb* offendere non possunt, q[illegible] s

ψέ pro *σφέ* et *ψίν* pro *σφίν* (cf. Maittaire de Dialect. ed. Sturz, p. 262.) dicatur. Primam autem huius vocabuli partem ex *is ea id* pronomine ortam esse, ostendunt eae formae, in quibus prima huius pronominis pars declinata est: Plaut. Cistell. I, 3, 22.

> ut *eampse* audistis confiterier.

Aulul. V, 7.

> Credo ego illum, ut iussi, *eampse* anum adisse.

Plaut. Curcul. IV, 3, 2.

> Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,
> Sed *eapse illa*, qua excidionem facere condidici oppidis.

et ibid. 5.

> Non aedepol nunc ego te mediocri macto infortunio,
> Sed *eopse illo*, quo mactare soleo, quoi nihil debeo.

et Trucul. 2, 6, 15.

> Alios collaudat, *eapse* se vero non potest.

Idem apparet e *reapse*, quod Festus (cf. Excerpt. Pauli Diac. p. 58. exempl. Lindem.) ex *re* et *eapse* constare dicit. Id ipsum *eapse* idem explicat *ea ipsa* affertque in *reque eapse* haec verba Scipionis Africani: *Quibus de hominibus cum ego saepe atque in multis locis opera, factis, consiliis, reque eapse bene meritus siem.* Seneca autem epist. CVIII. haec habet: *Grammaticus primum reapse dici a Cicerone, id est, reipsa, in commentarium refert, nec minus sepse, id est, se ipse.* Eae formae sunt indicio, antiquitus primam tantum huius pronominis compositi partem declinatam esse; sed postero tempore aut utrumque pronomen declinatum est, cuius supra §. 5. in *sapsa*, pro *ea ipsa* dicto, exemplum videbamus, aut, syllaba priore immutata, omnis declinatio ad ultimam syllabam transiit. Idem haud raro in aliis linguis usu venit. Nam *ὅςτις*, cuius propria declinatio est: *οὗτινος*, *ᾧτινι*, habet etiam *ὅτου*, *ὅτῳ*, et *alteruter* habet *alterius utrius* et *alterutrius*. Nonnulla huius generis exempla in linguis germanicis vide apud Grimmium, Grammat. tom. III. p. 34. In significatione autem huius verbi nihil est, quod impediat, quo minus *ipse* e pronomine reciproco ortum esse censeamus. Nam *ipse* cum omnibus personis coniungitur, habetque vim reciprocam. Idque etiam ita confirmari videtur, quod in lingua indica *svajam ipse* et in lingua lettica *ſewis ipse* e pronominis reciproci radice facta sunt. — Atque haud scio, an in alia quoque forma antiqua et latior pronominis reciproci significatio supersit, scilicet in additamento *pte*, quod e *pse* ortum videtur esse, atque ad omnia pronomina personalia et possessiva additur. *Vopte* enim Cato dixit pro *vos ipsi* et *mihipte* pro *mihi ipsi.* (Cf. Festi Fragmenta, p. 171.) *In eopte* pro *in eo ipso* Festus commemorat, (cf. Ex-

cerpta Pauli Diac. p. 81.) idemque *meopte*, *tuopte*, *suopte* per *meo ipsius*, *tuo ipsiu* *suo ipsius* explicat.

4) Pronominis reciproci propria est ea potestas, ut cum subiecto proximo con iungatur. Interdum tamen fit, ut non ad nomen proximum, sed ad aliud nomen re feratur, quod in antecedentibus est commemoratum. Id tum potissimum fieri assole quum in ea notione, ad quam pronomen reciprocum referendum est, tanta inest vi ut, quanquam non constructione, tamen cogitatione sit subiectum proximum et quas primarium. Huius generis multa apud latinos scriptores reperiuntur exempla. Cf Horat. Satir. II, 1, 49.

Grande malum Turius, si quis *se* iudice certet.

Columella 12, 44. ad fin. poma ita disponere, ut scobs *inter se* calcari possit. Cic. de Offic. III, 14. Pythius piscatores ad se convocavit, et ab his petiit, ut *ante suos* (Pythii) hortulos postridie piscarentur. (Korte ad Cic. Epist. ad Fam. XI, 11. et Ruddim. Instit. grammat. exempl. Lips. tom. II. p. 52.) Idem haud raro reperitur usus apud Graecos. Cf. Hom. Il. I, 236.

ναί μα τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
οὐδ᾽ ἀναθηλήσει· περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
φύλλα τε καὶ φλοιόν.

quo in loco ἑ ad antecedentis sententiae nomen est referendum. Alia confer exempla in Henr. Stephani Thesauro ling. gr. tom. I. p. 1067. Ita factum est, ut apud Graecos pronomen reciprocum naturam pronominis tertiae personae, quod apud eos intercidisse videbamus §. 5., indueret, isque usus adeo invaluit, ut Graeci etiam nominativum pluralis numeri formarent, quanquam in nulla linguarum cognatarum nominativus huius pronominis reperitur. Graeci vero iam in ea re ab huius pronominis vera natura paullulum recesserant, quod peculiares singularis et pluralis numeri casus formaverant. (Cf. supra 2.) Idque eos etiam eo adduxisse videtur, ut illum plurativi nominativum facerent, cuius primum exemplum legitur apud Herodotum VII, 168. *Οἱ παραυτίκα μὲν ὑπίσχοντο πέμψειν τε καὶ ἀμυνέειν, φράζοντες, ὡς οὔ σφι περιοπτέη ἐστὶ ἡ Ἑλλὰς ἀπολλυμένη. ἢν γὰρ σφαλῇ, σφεῖς γε οὐδὲν ἄλλο ἢ δουλεύσουσι τῇ πρώτῃ* [illegible]. Nominativum singularis et dualis numeri non formaverunt.

§. 8.

DE PRONOMINIS DEMONSTRATIVI RELATIVI INDEFINITI ET INTERROGATIVI RADICE.

1) Iam ad id vocabulorum genus, quae omnes grammatici in pronominum numero habuerunt et pronomina demonstrativa vocaverunt, transgredi lubet. Ea autem plane alio modo, atque pronomina personalia, quas res intelligi velint, declarant. Nam in pronominibus personalibus loquentium tantum et audientium et eorum, quae et a loquente et ab audiente sunt disiuncta et quasi iis opposita, ratio habetur; pronomina autem demonstrativa loci notionem ad res significandas adhibent.

Nimirum illa demonstrant locum, in quo res quaedam versetur, et eam quasi manu porrecta digitoque intento ostendunt, id quod ad rem aliquam accurate cognoscendam plurimum valet. Quae enim notatio rei alicui intelligendae tam inservit, quam si ipsi eam oculis videre et considerare possumus? Recte autem illa verba vocantur *pronomina*; nam qui *hic*, *iste*, *ille* dicit, efficit, ut oculos quidem in rem aliquam convertamus, et quae, qualisque sit ista, perspiciamus; sed tamen non rem ipsam significat, sed *pro* eius *nomine* et *pro singulis rei indiciis* iis verbis, quae locum, in quo res versetur, indicant, utitur. Ea autem pronomina modo adiectivorum, modo substantivorum habent naturam. Nam si *hic*, *haec* dicimus, et *virum*, *mulierem* a nobis intelligi manus significatione prodimus, hoc pronomen substantivi partes accipit; si *hic vir*, *haec mulier* dicimus, quum nomen sit additum, idem pronomen adiectivi vim habet. Loci autem, in quibus res aliqua possit esse, quum varii sint, ad orationis perspicuitatem plura eius modi vocabula demonstrativa pleraeque linguae habent, quorum numerus multum etiam eo auctus est, quod varios in usus pronomen demonstrativum converterunt. Idque profecto antiquissimis quidem temporibus non mirum est. Nam si linguarum prima tempora et quasi initia cum hominum infantia comparare licet, quis nescit, eos, quibus facundia et celer orationis usus desit, ad res manu ostendendas confugere et ita uti pronominibus demonstrativis? Itaque quo antiquiora linguae alicuius sunt monumenta, eo frequentiorem pronominum demonstrativorum usum fuisse videmus. Quare apud veteres Graecos aliquanto plura pronomina demonstrativa pluresque particulas, ex demonstrativis ortas, quam apud eos scriptores, quae Luciani temporibus vixere, invenimus. Et nostra recentior germanica lingua, si cum veteribus Gothorum aut Anglosaxonum dialectis comparatur, paucissima habet pronomina demonstrativa, quum illi iisdem abundarent. Cum pronominibus autem demonstrativis et interrogativa, et indefinita, et relativa arcte cohaerere eaque ipsa iure optimo etiam demonstrativa vocari

posse, id infra accuratius explicabimus. Atque in iis linguis, de quibus hic agimus, maxima horum pronominum pars ex una quadam forma, tanquam e radice, quae in latos ramos excrevit, prodiit. Quae sit igitur ista radix, e qua in aliis linguis alia prodiere pronomina, nostrum est, nunc indagare.

2) At si Graecorum pronomina demonstrativa ὁ, ὅδε, οὗτος, Ἵ, κεῖνος, τῆνος, et relativa ὅς et Ἵ, et indefinita et interrogativa τίς, ΠΟΣ, ΚΟΣ, ΤΟΣ, et Latinorum pronomina *hic*, *qui*, *quis*, omnia ex uno vocabulo profecta esse contendimus; ne vocalibus consonisque litteris pro ludibrio permutatis et commixtis, quaecunque velimus, facere atque hallucinari videamur, accurata profecto et subtili argumentatione opus est. Vix enim verba reperiri possint, quae et forma et significatione magis, quam ea, quae hic enumeravimus, inter se differre videantur. Atque hoc primum concedendum esse arbitror; si plura demonstrativa ex una radice orta esse dicamus, id per se linguarum origini atque naturae non repugnare. Nam quum aliquandiu una radix ad res demonstrandas suffecisset, ex hac sola deinceps, variis notionibus accedentibus, cetera, quae necessaria videbantur esse, pronomina formari coeperunt. Deinde quo facilius sententiam nostram probemus et stabiliamus, hoc, quaesumus, animo vestro reputetis, quemadmodum multa verba nativa interierint, dum derivata verba usu ac consuetudine retineantur et conserventur, sic etiam singulas litteras, quas antiquitas noverit, potuisse intercidere, dum eae litterae, quae earum in locum successerint, superstites sint. Nam vehementer erraret, et rationis ac viae, qua linguae oriantur, formentur et excolantur, plane ignarus esset, qui omnes populos, qui et ante nos fuerint et nostra aetate vivant, semper eosdem vocalium consonarumque litterarum sonos habere putaret. Immo litterae aliae quum aliis facilius pronuntientur, interdum factum est, ut, quas litteras maiores invenerant et usurparant, easdem propter oris quandam incommoditatem posteri repudiarent, et in earum locum alias, easque facilius pronuntiandas, substituerent. Atque eius modi litteram, antiquitus quidem usitatam, a posteris vero neglectam et vario modo immutatam, in demonstrativi pronominis radice fuisse equidem arbitror. Ad quam litteram indagandam et cognoscendam viam aperit atque munit lingua sanscrita, quae cum in aliis verbis antiquissimorum sonorum verborumque tenacissima sit, tum huic quoque nostrae disquisitioni vetustate sermonis sui aliquantum lucis affundit.

a) Indi enim habent litteram quandam, quae, ut Angli nobis referunt, lingua inde a palato ad dentes usque admota pronuntiatur et *tsçh* sonat. Hanc, sive aliam huic sono valde similem, litteram antiquissimis temporibus in pronominis, quo de agimus, cipio fuisse, mihi persuasum est. Sed quum illa littera propter eius ambitum ac tem displiceret, singulae illae nationes, quibus propter communem originem ha

littera communis fuit, eam, ut ita dicam, in singulas partes dissolverunt, eiusque loco omnes eas litteras, quas, lingua vel palato vel dentibus affixa, efferimus, substituerunt. Quod quo magis intelligatur, quomodo ea littera in singulis linguis sit mutata, contemplandum est.

Atque, ut ab *Indis* exordiamur, in eorum lingua illud *tsch* ipsum in *tschid* et *tschana* adhuc superest. Has enim particulas ad pronominis demonstrativi radicem pertinere arbitror; affiguntur autem ad *kas*, *ka*, *kim*, efficiuntque *kaçtschid* et *kaçtschana aliquis*. Alia autem litterae antiquae species erat *t*, quod in nonnullis formis in *s* transiit: *săs*, *sā*, *tad*, *hic*, *haec*, *hoc*; genit. *tasja*, *tasjās*, *tasja*; accus. *tam*, *tām*, *tad*. At ubi in illa littera primigenia pronuntianda lingua magis ad palatum admovebatur, *ku*, *kv* sive *k* oriebatur, illa forma in *kutas unde* atque in *kutra* et *kva ubi* superest; altera autem usitatior in *kas*, *ka*, *kim*, *quis*, *quae*, *quid?* Denique in relativo *jas*, *ja*, *jad* littera primigenia plane excidit.

b) *Graeci*, litterarum mollitiem ubivis affectantes, *tsch* plane repudiaverunt, et partim *τ* substituerunt in *τίς* et *ΤΟΣ*, e quo *τοῖος*, *τόσος*, *τηλίκος*, *τότε* aliaque demonstrativa verba veniunt, idque *τ* denuo in *σ* aut in spiritum asperum mutaverunt. Ita *σήμερον* et *σῆτες* orta sunt, quae pro *τήμερον* et *τῆτες* dicta et e pronomine demonstrativo et *ἡμέρα* et *ἔτος* composita sunt, et ὁ, ἡ, οἱ, αἱ, et ὅς, ἥ, ὅ, οὗ, ἧς, etc. Sed sicuti Indi etiam *ku* pro littera primigenia dicebant: ita Graeci quoque *κ* et *π* substituerunt, quae litterae in obsoletis quibusdam vocibus *ΠΟΣ* et *ΚΟΣ* reperiuntur, e quibus et adverbia multa et pronomina quaedam emanarunt, quae ab Atticis per *π*, ab Ionibus per *κ* enuntiantur: *πόθεν*, *ποῖ*, *πότε*, *πόθι*, *ποῦ*, *ποῖος*, *πόσος*, alia, et *κόθεν*, *κοῦ*, *κοτέ*, *κοῖος*, *κόσος*. Mira autem haec litterarum commutatio, quam, quantum equidem scio, nemo huc usque virorum doctorum explicavit, ita exorta est, ut, quum Indi *ku*, Romani, ut infra docebimus, *qu* dicerent, Graeci alterutram litteram omitterent, et aut *κ* littera sola uterentur, aut *u*, ita tamen, ut *u* litteram semper in *π*, cognatam litteram, mutarent. Ad hanc rem explanandam potest conferri Indicum *açvas*, Romanorum *equus*, et Graecorum *ἵππος*. Ceteri enim Graeci in hoc verbo *κ* litteram eiecerunt, *u* in *π* mutaverunt, et *ἵππος* dixerunt; Aeoles autem, *u* littera eiecta, *ἴκκος* pronuntiaverunt (cf. Etym. M. p. 474, 12.): utrique autem, ut litteram eiectam compensarent, ideo litteram eam, quam retinuerunt, in pronuntiando duplicavisse videntur. Eadem est *ΚΟΣ* et *ΠΟΣ* pronominum ratio. Nam quum *ΚΟΥΟΣ* pronuntiandum fuisset, Iones *ου* mediam litteram eiecerunt, et *ΚΟΣ* dixerunt; Attici autem *ου* in *π* mutaverunt, et *κ* littera, quam ante *π* vix eloqui poterant, abiecta, *ΠΟΣ* formaverunt. Atque haud scio, an *π* et *κ* et *τ* et *σ* litterae, quae in ὅπως, ὁπποῖος, ὁππόθεν, in ὁκκόσος

(Callimach. H. in Cerer. 31.), et in *ὅττις*, *ὅττεο*, *ὅττευ*, et in *ἄσσα* et *ἅσσα* (cf. §. 9.), duplicatae sunt, propterea his sint positae, quod litteram eiectam, aut mutilatam neque plene elatam, alia repetita Graeci compensare studebant, uti in *ἴππος* factum esse vidimus.

c) Eaedem denique huius pronominis mutationes factae sunt in latina lingua. Nam apud Latinos quoque prisca illa littera in *t* litteram transiit, quae evanuit quidem in pronomine simplice demonstrativo, sed in derivatis pronominibus et adverbiis superest, in *tantus*, *talis*, *totus*, *tot*, *tam*, *tum*, *tamen*, *tunc*; eadem in *s* transiit, in *sin*, *si*, *sic*, (cf. §. 17.) et in *h* in *hic*, *haec*, *hoc*. *Qu* autem littera, quae cum Indorum *ku* est comparanda, in omnibus pronominibus indefinitis et interrogativis extat: *qui*, *quis*, *quae*, *quod*, *quantus*, *qualis*, *quotus*, *quam*, *cum*, *quo*, *cur*. Unum tantum vestigium, *k* etiam demonstrandi vim retinuisse, in *ce* syllaba, cf. §. 12. Nr. 1. Sed apud Italos quoque *c* littera eiecta et *u* in *p*, consonam cognatam, mutata est. Namque Osci pro *quidquid* dixerunt *pitpid*, cuius rei auctor est Festus in Excerptis Pauli Diaconi, p. 117. exempl. Lindem. Atque eius formae est etiam vestigium aliquod in Romanorum lingua in *piam* particula, pro *quam* saepe usurpata, de qua plura vide §. 22.

d) Linguam germanicam et slavicam cum his, quae exposuimus, examussim congruere, ostendit Grimmius in Grammat. german. tom. III. p. 2. et 3. Grimmius autem in ea est opinione p. 1., ut credat, aliam pronominis demonstrativi, aliam interrogativi fuisse radicem, hanc a littera gutturali *k*, illam a littera dentali *t* incipere. At primum hoc contra hanc Grimmii sententiam moneri potest, quod ea veterum linguarum testimonio non confirmatur, id quod illum ipsum latere non potuit. Nam *τίς*, quod de Grimmii sententia tantum demonstrandi vim habere potest, interrogativum est pronomen. Deinde Grimmius, quomodo *p*, litteram labialem, quae pro *k* saepe reperitur, explicet, non habet. Denique pronomina interrogativa omnia proprie nihil, nisi pronomina indefinita fuerunt, neque in verbis nativis sunt numeranda, uti infra copiosius persequemur. Neque vero, si *qui*, *quae*, *quod* primitus in interrogativi pronominis usum inventum esset, ut Grimmius arbitratur, intelligi posset, quomodo eidem verbo relativi significationem indere potuissent. Pronomen enim relativum cum demonstrativi notione arctissime cohaeret, non cum pronomine interrogativo. (Cf. infra Nr. 4.) Quare ego hoc, quod Grimmius antiquitus duarum radicum credit fuisse discrimen, ab ipso excogitatum, revera nullum fuisse existimo. Hoc autem concedimus, quum ex una radice plures litterae ortae essent, eas in singulis linguis plerumque [illegible] us cum constantia quadam et aequabilitate esse conversas, cuius rei sup[illegible] tulimus.

e) Ex una autem consona diversas istas litteras esse ortas, magis etiam intelligetur, si alia attulerimus exempla, in quibus eandem litterarum mutationem animadvertimus. Atque unum iam exemplum attulimus, *açvas*, *ἵππος*, *ἴκκος*, *equus*. Confer praeterea indicum *tschatur*, quod Graeci per *τέτταρες*, *τέσσαρες*, *τέτορες* et *πίσυρες* efferunt. Latini dicunt *quatuor*, Osci autem *pettora*, quod Festus sub voce *petoritum* in Pauli Diac. Excerptis commemorat, Gothi *fiduor*. Huc referendum etiam indicum *pantschan*, quod cum graeco *πέντε* vel *πέμπε* et latino *quinque* est comparandum. Indicum *tscha* usu et forma cum graeco *τέ* congruit, at etiam *κα* dictum est in *πόκα* et *ποκά* pro *πότε* et *ποτέ*, et *ὅκα* et *ὅκκα* pro *ὅτε*, (Hesychius etiam *ὄκκα* commemorat s. v. *ὄκκα σάξει*; cur *ὅκκα* non ex *ὅκακα*, uti vult Buttmannus (Gramm. max. gr. tom. II. p. 294.) ortum esse credendum sit, id ex iis, quae supra de *ὅππως*, *ὀκκόσος* etc. disseruimus, apparet.) eaque est latina particula *que*, pro qua etiam *pe* videtur in usu fuisse, (cf. *ipsipe*, *quippe*, *nempe* infra §. 27.). Atque hac quidem ratione explicari potest, quomodo factum sit, ut in iisdem vocabulis Indi interdum *p*, Romani *qu* sive *c* habeant. In lingua indica et zentica *ap* dicitur, in latina *aqua*. Apud Indos *pat* significat et *sursum* et *deorsum ferri*; eadem notio in graeca radice *πετ* inest, e qua et *πίπτειν* et *πέτομαι* oriuntur, Romanorumque *cadere* ad eandem stirpem videtur pertinere significareque *deorsum ferri*. Eadem litterarum discrepantia in initio *pantschan* verbi, quod Graeci *πέντε*, Romani *quinque* efferunt. Eaedem litterae in graeco *στέλλειν* commutantur, pro quo etiam *σπέλλειν* dictum est. (Cf. Hesychium s. v. *σπελλάμεναι*, quod *στειλάμεναι* explicat.) Denique hoc quoque commonendum videtur esse, in lingua zentica *u* litteram aliquoties in *p* mutatam esse. Nam pro *açva equus* dicitur *aspo*, pro indico *viçva omnis vispe*, pro indico *çvā canis κύων spa*.

3) Postquam de littera consona, a qua verbum, quo de agimus, incepisse putamus, satis multa diximus, etiam de eius vocali videtur disserendum esse. Ea in diversis formis non eadem fuit. Nam vel *i* vocalem vel eam vocalem in pronomine demonstrativo videmus inesse, quam Indi per *ă*, Graeci per *ŏ*, Romani per *ŭ* exprimunt. Sed quum sanscritum *ă*, graecum *ŏ*, latinum *ŭ* ad nominum declinationem efficiendam saepissime adhibeatur, *i* antiquior sine dubio fuit littera, eaque ab altera, quae declinationis caussa adiuncta est, passim sive obscurata sive expulsa est. Itaque non potuit fieri, quin, prout aut *i* littera retineretur, aut altera littera in declinatione adderetur, duplex declinandi ratio oriretur, quemadmodum fere apud Romanos in verbis *exanimis* et *exanimus*, *imbecillis* et *imbecillus* factum est. Atque, ut antiquissima linguae sanscritae testimonia iterum primo loco ponamus, *i* littera extat in vetustissima *tschid* particula, quae ad pronomen *kăs*, *kā*, *kim* adhaerens *kaçtschid*, *katschid*, *kintschid*, *ali-*

aliquis, *aliqua*, *aliquid*, efficit. Eadem vocalis in pronomine interrogativo ne generis *kim*, *quid?* et in pronominibus derivativis *kijan*, *kijati*, *kijat*, *quotus*, q *quotum*, et in *kidricas* sive *kidrikschas*, *cui similis*, apparet, et in pronomine de strativo *sjas*, *sjā*, *tjat*, gen. *tjasja*, *tjasjas*, *tjasja*, *hic*, *haec*, *hoc*, in quo *j* per t declinationem reperitur; eadem denique in *jas*, *jā*, *jat*, pronomine relativo, cui initio consona littera plane videtur excidisse. In usitatiore autem pronomine den strativo, et in omnibus pronominis interrogativi formis praeter *kim*, cuius modo n tionem fecimus, *i* plane excidit. Apud *Graecos* illud *ι* in *τίς* et *κεῖνος* retentum eiusque litterae vestigium etiam in *ἵ* pronomine, de quo §. 5. Nr. 5. egimus, super in ceteris graecis pronominibus altera vocalis, quae declinationis caussa nomini adh rescit, (cf. *ὁ*, *ἡ*, *τό*, *ὅς*, *ἥ*, *ὅ*, *οὗτος*, *αὕτη*, *τοῦτο*,) obtinet.

Lingua latina, quae omnino radices et formas antiquas religiosius custodi quam graeca, multas in pronominibus *qui*, *quae*, *quod*, et *hic*, *haec*, *hoc*, formas hab quibus *i* littera repraesentatur; alias etiam, in quibus altera vocalis inest. Quae vo lium diversitas ad horum verborum declinationem tantam habet vim, ut, si nomini latinorum declinatio, ut fit, in plures ordines dispertitur, haec pronomina modo tertia declinandi rationem sequantur, modo primam et secundam, id quod ex hac tabu cognoscitur:

	I. et II. Declinatio.			III. Declinatio.			
	Singularis.						
	masc.	*fem.*	*neutr.*	*masc.*		*fem.*	*neutr.*
Nom.		(quae) qua	quod	quis s. qui, generis comm.			quid
		(haec)	hoc	hic			
Gen.	—	—	—	cuius, generis omnis			
	—	—	—	huius	—	—	—
Dat.	—	—	—	cui	—	—	—
	—	—	—	huic	—	—	—
Accus.	—	quam	quod	quem	—	—	quid
	hunc	hanc	hoc	—	—	—	—
Ablat.	quo	qua	quo	qui	—	—	—
	hoc	hac	hoc	—	—	—	—

	I. et II. Declinatio.			III. Declinatio.		
	Pluralis.					
	masc.	*fem.*	*neutr.*	*masc.*	*fem.*	*neutr.*
Nom.	qui	quae	(quae) qua	ques	—	quia
	hi	hae	(haec)	—	—	—
Gen.	quorum	quarum	quorum	—	—	—
	horum	harum	horum	—	—	—
Dat.	queis, generis omnis			quibus, generis omnis.		
et Ablat.	his	—	—	hibus, generis omnis		
Accus.	quos	quas	(quae) qua	ques	—	quia
	hos	has	(haec)			

4) Itaque quum a me sit expositum, diversa, quae commemorentur et apud Graecos et apud Latinos pronomina demonstrativa, ex una radice orta esse, superest, ut horum singulorum pronominum significationes cum radicis prima notione congruere ostendamus. Nam quae verba una ex radice nata esse dicuntur, eorum significationes tales esse debent, ut ex una quadam communi notione, tanquam e stirpe, proficisci possint. Quare enucleandum atque exponendum est, quomodo una pronominis demonstrativi notio paullatim amplificata et dilatata sit, et varias, quas habet, significationes acceperit. Atque illud quidem luce clarius est, ipsam demonstrandi vim primam et propriam nostri pronominis esse significationem. Quod enim vocabulum primis hominibus, qui linguas inveniebant, magis necessarium erat, quam eius modi pronomen, quo res, quarum nomina nondum habebant, ostenderent digitisque monstrarent? Ac primum quomodo factum sit, ut pronomen demonstrativum relativi in usum converterint, non difficile est dictu. Nam relativum quoque pronomen demonstrandi habet vim, quoniam, si *hic homo*, *qui de nobis percunctatus est*, dicimus, *qui* verbo ad novam quandam eius hominis, de quo loquimur, proprietatem animus attenditur, eaque demonstratur. Eam cum antecedente quadam notione copulandam esse, id plerumque ex cetera oratione ita est perspicuum, ut eius rei significatio plane omitti possit. Itaque omnes populi, de quorum linguis hic agitur, ad pronomen relativum exprimendum demonstrativi radicem adhibuerunt, et in nonnullis linguis ne eo quidem tempore, quo ab aliis populis singula pronominum genera diversis formis discernebantur, relativo forma alia atque demonstrativo pronomini est indita. Germanos quidem *der Mann, der dieſs gethan hat*, dicere constat, neque apud Graecos antiquitus relativi et demonstrativi pronominis formas diversas fuisse, ex Homeri carminibus satis intelligi licet. Altera autem quaestio difficilior videtur esse,

quae in eo versatur, *qui* pronomen demonstrativum etiam indefinitum; quod vocatı pronomen significare potuerit. Nam plane contraria atque inter se opposita credidei haec esse pronomina, quum indefinitum res incertas, definitum res certas indicare dic tur. Sed si pronominis indefiniti notionem accurate expendis et examinas, illo pron mine videbis exprimi non plane incertas, sed eius modi res, quae e cetera earundem r rum serie ac numero exemtae, singulae menti nostrae obversentur. Nam si dicim γυνή τις, haec mulieris notio non plane vaga atque incerta est, sed eam, quanquam cet rarum, quibus insignis est, notarum significatione destitutam, tamen certam esse, et si gularem animo conceptam et ab aliis eiusdem generis rebus secretam profitemur. Ide fere fit pronomine demonstrativo, cuius demonstratione item res singulae, e cetero reru ordine exceptae, oculis nostris subiiciuntur. Quocirca si pronomen demonstrativu adhibebatur ad res manu ostendendas, idem facile ad mentem atque cogitationem tran ferri potuit atque pronominis indefiniti significationem accipere. Quoniam autem i pronomine indefinito minor est demonstrandi vis atque potestas, id vocabulum pone al plerumque ponitur et minore accentus vi enuntiatur. Denique interrogationis quoque i usum idem pronomen indefinitum adhibitum est. Quod hoc modo factum esse arbitro Primi isti homines, rudes in dicendo et inculti, quum vellent ex alio quid quaerere, i non tam singulari vocabulo, sed gestu potius et sono vocis faciebant. Quoniam autei in quaerendo pronominis indefiniti, quo res quaedam menti obversans, non oculis sub iecta significatur, frequens erat usus, paullatim factum est, ut hoc pronomen pronomi nis interrogativi partes susciperet. Quare ii mihi in magno videntur errore versari, qu iam antiquitus singularia interrogativa pronomina eiusdemque generis particulas fuiss opinentur.

5) Hae igitur notiones omnes antiquitus uno pronomine demonstrativo significata sunt, voce, sono atque gestu adiuvante, et in quemnam modum pronomen esset intelli gendum, declarante. Verumtamen pristina illa in dicendo quasi infantia paullatim ita es superata, ut radicem pronominis demonstrativi eo, quo vidimus, modo immutarent varias eius formas distinguerent et sua unumquodque pronomen voce efferrent. Se quibusnam potissimum formis ad singula pronominis demonstrativi genera significand uti vellent, id penes singulorum populorum arbitrium erat. Itaque aliae natione alias formas adsciverunt. Indi enim forma, a *k* incipiente, pronomen indefinitum e interrogativum significarunt, (nam *kas*, *ka*, *kim* primitus pronomen indefinitum fuit post, quum haec forma interrogativi pronominis naturam induisset, indefinito prono-mini, ut ab interrogativo distingueretur, et suam unaquaeque pronominum species habe-ret formam, *tschid* et *tschana* particulae additae sunt,) forma alia demonstrativum, ali

relativum expresserunt. Romani una forma pronomen relativum et indefinitum et interrogativum, alia demonstrativum signarunt. Graeci vero omnibus a τ littera incipientibus formis antiquitus promiscue sunt usi; habent enim pronominis et demonstrativi et relativi, atque etiam indefiniti et interrogativi significationem. Nam quas articuli formas dicunt, eae partim pronomen indefinitum et interrogativum significant, (cf. §. 9.) et τίς aliquoties pro relativo usurpatum reperitur. Cf. Aeschyl. Sept. adv. Theb. 431.

τοιῷδε φωτὶ πέμπε, τὶς ξυστήσεται.

et Callimach. epigr. XXX.

ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν, οὐδὲ κελεύθῳ
χαίρω, τὶς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.

Formas autem, quae π sive κ in initio habent, Graeci nonnisi indefiniti pronominis et interrogativi in usum adsciverunt.

Quomodo ex unius verbi radice singulae, quas enumeravimus, pronominis demonstrativi formae sint ortae, quoque modo cum prima pronominis demonstrativi notione et pronomen relativum et indefinitum et interrogativum, quae, quoniam omnibus demonstrandi notio subest, aliquoties communi pronominum demonstrativorum nomine comprehensa a nobis et nuncupata sunt, cohaereant, ea quaestio iam satis excussa atque exposita videtur esse. Itaque pronomina demonstrativa, quae apud Graecos et Romanos inveniuntur, singillatim persequemur, eorumque, quae sit origo declinatioque, et qui usus, enarrabimus. Graeci habent haec pronomina:

demonstrativa ὁ, (ἡ, τό,) ὅδε, οὗτος, κεῖνος, (τῆνος,) ὁ δεῖνα;
indefinita ὁ sive ΤΟΣ, τίς, ΠΟΣ et ΚΟΣ;
interrogativa directa τίς, ΠΟΣ et ΚΟΣ;
interrogativa indirecta ὅςτις, ῾ΟΠΟΣ et ῾ΟΚΟΣ.

§. 8.

DE GRAECORUM PRONOMINE DEMONSTRATIVO ET RELATIVO.

1) Primum de iis pronominibus, quae prae ceteris demonstrativa vocantur, agendum est. Horum simplicissimum est ὁ, ἡ, τό. Huius pronominis apud Graecos omnes casus a τ littera incipiunt, praeter masculini et feminini generis nominativum in singulari numero et plurali. Sed antiquissimis quidem temporibus etiam in his casibus τ ab initio obtinuisse et singularis numeri nominativum τό sive τός, τή, τό et in plurativo τοί, ταί, τά fuisse, credendum est. Id quum ex iis, quae §. 7. de huius

pronominis radice disputavimus, satis sit perspicuum, tum inde potest cognosci, quod apud Homerum τοί, ταί, nominativi pluralis numeri, saepe reperiuntur. Quoniam autem etiam in lingua sanscrita singularis numeri nominativus in masculino genere *sas* et in feminino *sa* habet, in lingua anglosaxonica *sē*, *sēo*, in gothica *sa*, *sō*, et in lingua prisca terrarum septentrionalium *sa*, *sû*, Boppius iudicavit, (in libro supra laudato, 1825, p. 66.) nominativum huius pronominis, priusquam isti populi e sedibus patriis abissent, linguasque suas in diversissimas regiones tulissent, apud plerosque s primam habuisse litteram. Neque tamen, id quod Boppius opinatus esse videtur, ex illis formis videtur colligi atque concludi posse, *s* litteram in nominativo ab initio huius pronominis fuisse primitivam et in omnibus cognatis linguis usitatam. Nam et Litthuani *t* litteram in nominativo retinent, et Letti nominativum *ſchis*, *ſchi* habent. Quare non est dubitandum, quin *s* littera, pro qua Graeci spiritum asperum usurpaverunt, eo, quo supra (§. 7. 2.) diximus, modo e littera primigenia sit profecta. Neque mirum est, si nominativus masculini et feminini generis huic mutationi erat obnoxius; frequens enim huius casus usus levem et facilem litteram, qualis *s* littera natura est sua, postulare videbatur. Itaque factum est, ut apud alios populos tantum in nominativo singularis numeri, apud Graecos etiam in plurativo, apud Romanos denique in toto pronomine *s* sive *h* littera pro graviore *t* littera adoptaretur. Idem Boppius l. l. p. 68. sq. nominativum huius pronominis in genere masculino nunquam τός, sed semper τό fuisse, et *s* litteram, quae et in latina et in graeca, et in omnibus, quae cum his cognationis vinculo continentur, linguis nominativi est signum, in hoc pronomine defecisse contendit, eamque sententiam ut demonstret atque comprobet, subtilissima et acutissima utitur argumentatione. Atque profecto, quum hoc nominativi signum in lingua graeca, gothica, anglosaxonica et prisca terrarum septentrionalium lingua, uti supra vidimus, in fine nominativi desit, eam litteram iam antiquissimis temporibus in nonnullis linguis in hac quidem forma esse amissam, credibile est. Sed quum eadem littera addita sit in lingua zentica, quum in lingua sanscrita plerumque *sas*, non *sa*, dicatur, quum Graecis duae sint formae, quarum pleniorem ὅς pronomini relativo, ὁ breviorem demonstrativo attribuerunt, quum denique Romani quoque et *quis* et *qui* dicant, neque *ſchis* apud Lettos *s*, nominativi signo, careat, recte videtur hoc colligi posse, Graecorum antiquissimam nominativi masculini generis formam τός, non τό, fuisse. Nominativi enim signum, *s* littera videlicet, in nonnullis linguis frequente huius pronominis usu extritum et deletum est. Etiam apud Romanos *quis* antiqua et communis forma fuit, sed *s*, nominativi quod est signum, ubi hoc verbum relativum est, nonnunquam etiam, ubi indefinitum est, interiit, et *qui* dictum est, idemque

haud scio, an in *ipse*, *ille*, *iste* factum sit, quae verba sive ex *ipsus*, *illus*, *istus*, (cf. §. 12.) sive ex *ipsis*, *illis*, *istis* correpta videntur esse.

Hoc igitur pronomine ab initio res, quae aderant, quaeque praesentes erant, quasi manu protenta demonstrabantur, ita ut eandem, atque *hic*, *haec*, *hoc*, significationem haberet. Haec verbi ὁ, ἡ, τό usitata significatio est apud Homerum, e quo unum modo exemplum afferre lubet, Il. I, 9.

τίς τ᾽ ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός· ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς
νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν, ὀλέκοντο δὲ λαοί,
οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ᾽ ἀρητῆρα
Ἀτρείδης. ὁ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

Ab Homero et Hesiodo hic usus ad Iones et Dores transiit, et nonnunquam a poëtis tragicis et quibusdam in locutionibus a ceteris etiam scriptoribus atticis servatus est. Sed quum hoc pronomen, quod proprie res oculis subiectas demonstrabat, sensim ad eas quoque res notandas, quae animo atque mente utpote singulae erant comprehensae, transferretur, hoc pronomen eam, quam articuli praepositivi notione intelligimus, accepit significationem, de cuius usu atque natura in libello, quem Ratiboriae apud Silesiacos de Infinitivo conscripsimus, §. 7. fusius locuti sumus. (Cf. etiam Buttmannum Gramm. gr. max. §. 75. adn. I. de articuli praepositivi et postpositivi natura atque discrimine.) Sed quo magis ille articuli usus frequentabatur, eo magis novum quoddam pronomen necessarium erat, quo res, quae sive praesentes revera erant, sive tantum fingebantur esse, indicarentur et ostenderentur, eamque notionem ὅδε et οὗτος exprimebant.

2) Ὅδε, ἥδε, τόδε facile patet e simplice demonstrativi pronominis forma atque δέ enclitica particula esse compositum. Eadem particula cum τοῖος, τόσος, τηλίκος in τοιόςδε, τοσόςδε, τηλικόςδε componitur et ad accusativum etiam additur: οἰκόνδε, Οὐλυμπόνδε. Has enim particulas easdem esse, neque diversas, ex accentu et e significatione est perspicuum. Nam δέ particula, ad accusativi formam addita, *versus* significat oculosque et animum ad rem aliquam advertit atque advocat, οἰκόνδε *domum versus*, εἰς ἅλαδε *in mare versus*, Οὐλυμπόνδε *in Olympum versus*. Itaque δέ quoque quasi audientium oculos et mentem ad rem monstratam convertit, quum, quo versus animus sit attendendus, significet. Eadem particula etiam ad adverbia additur. Ita ex ἔνθα fit ἐνθάδε, ex ἔνθεν ἐνθένδε, ex τηνίκα τηνικάδε, et pro τῆμος Callimachus et Apollonius Rhodius dixerunt τημόςδε. Callim. in Iov. 21. Apoll. II, 957.

Alterum pronomen demonstrativum, οὗτος, αὕτη, τοῦτο, e repetita eiusdem radicis forma exortum est. At, inquiet quispiam, eo modo ὅτός, non οὗτος, potuit nasci. Id

quanquam verum est, neque ego, quomodo υ insertum explicem, habeo, tamen de illa origine nihil videtur dubitationis relinqui. Eodem enim modo e τόσος, τοῖος, τηλίκος affixo τός pronomine, τοσοῦτος, τοιοῦτος, τηλικοῦτος orta sunt. Etiam in adverbiis quibusdam, quae e pronominibus facta sunt, si eaedem syllabae repetuntur, υ littera inseritur. Nam ex ἔνθα et ἔνθεν, θα et θεν syllabis duplicatis, ἐνθαῦθα et ἐνθεῦθεν oriuntur, quod Iones ἐνθαῦτα et ἐνθεῦτεν, Attici ἐνταῦθα, ἐντεῦθεν pronuntiant. Atque e τῆμος fit τημοῦτος, quod apud Hesiodum extat, Ἐργ. 578., et e τηνίκα, τηνικαῦτα. Neque si ad pronominum vim augendam eadem vox repetitur, illud potest offendere. Quis est enim, cui non in mentem veniant ἐντεῦθεν et ἐνταῦθα, quae modo commemoravimus, in quibus θεν et θα syllabae repetitae sunt? Qui non meminerit verborum *quisquis*, *emem* pro eundem, (cf. §. 5.) *sese*, et *tute*, quod pro *tutu* dictum videtur esse? Denuo autem ὅδε et οὗτος pronominum vis, ι syllaba in ὁδί et οὑτοσί apposita, aucta ac cumulata est, neque tamen apud Homerum neque apud Herodotum eae formae, sed inde tantum ab Atticorum scriptorum aetate reperiuntur; tragici autem poëtae ab iis sese abstinuerunt. Quomodo autem sit explicanda illa syllaba, hoc commentator quidam Dionysii Thracis scite exposuit in Bekkeri Anecd. p. 916, 11., qui tertiae personae pronomen ι, de quo §. 5. egimus, nusquam nisi in οὑτοσί, ἐκεινοσί reperiri commemorat. Idque ut verum esse credamus, linguae sanscritae efficit auctoritas. Namque in Rig-Vedae specimine, cuius §. 5. mentio est facta, compluries *id*, quod pronominis tertiae personae neutrum est genus, pone pronomen demonstrativum, quo vis eius intendatur atque augeatur, collocatur. Quare idem in lingua graeca factum esse credibile est. Ὅδε autem et οὗτος ita differunt, ut ὅδε rem praesentem, ad quam intuendam oculi et mens advocatur, indicet, οὗτος fere eandem potestatem habeat, tantum simplice pronomine demonstrativo bis posito. Sed quum locorum multa sint intervalla, multaque spatia, in plerisque linguis plura reperiuntur pronomina, quibus accuratius indicatur, quo in loco res aliqua versetur, utrum ea loquenti propior sit, an ab eo remotior. Hoc quidem pacto in loco designando duplex oritur ratio. Atque apud Graecos quidem locum loquenti proximum ὅδε et οὗτος significant. Itaque fit, ut utrumque pronomen saepenumero ad primam personam referatur atque adeo primam personam ipsam significet, id quod maxime in ὅδε pronomen cadit. De hoc usu horum pronominum quum Schaeferus in Meletematis, p. 77., et Elmsleius ad Heracl. 81., et Matthiaeus Gramm. gr. §. 470. multis exposuerunt, tum eundem multis testimoniis comprobavit et multimodis illustravit Bernhardyus in graecae linguae Syntaxi, p. 278. sqq. Ea autem, quae a loquente sunt remota, eique quasi opposita, per ἐκεῖνος enuntiantur. Atque quomodo οὗτος ad id, quod modo praecedit, ἐκεῖνος ad alterum, quod est remotius, referatur, id multis potest comprobari exemplis. Cf.

Aristot. Ethic. V, 2, §. 4. ed. Cardwell. *Εἰ ὁ μὲν τοῦ κερδαίνειν ἕνεκα μοιχεύει καὶ προςλαμβάνων, ὁ δὲ, προςτιθεὶς καὶ ζημιούμενος δι' ἐπιθυμίαν, οὗτος μὲν ἀκόλαστος μᾶλλον δόξει εἶναι ἢ πλεονέκτης· ἐκεῖνος δ' ἄδικος, ἀκόλαστος δ' οὔ. δῆλον ἄρα, ὅτι διὰ τὸ κερδαίνειν.* Cf. apud eund. III, 7, 7 — 8. VII, 4, 2 — 4. VIII, 4, 6. Sed alia interdum oculis nostris obversantur, alia mente intuemur et cogitatione perlustramus; et ea, quae loco, in quo versamur, sunt proxima, a cognitione et contemplatione nostra sunt aliena. Quare apud Graecos loci reperiuntur, in quibus ea, quae a loco, in quo loquens versatur, longiore intervallo sunt seiuncta, per *οὗτος* pronomen significantur, utpote quod ea in loquentis mente et animo sunt potiora; ea autem, quae loquenti proxima videntur esse, per *ἐκεῖνος* efferuntur. Huic quoque pronomini, ut eius vis demonstrativa augeatur, interdum *ι* additur, quo fit *ἐκεινοσί*, quod apud Aristophanem atque Lucianum saepe reperitur. Huius quidem pronominis quatuor sunt formae: *ἐκεῖνος*, *κεῖνος*, *κῆνος* et *τῆνος*. *Κεῖνος* Ionum dicitur esse; *ἐκεῖνος* Atticorum, quanquam *ἐκεῖνος* etiam apud Homerum et *κεῖνος* apud tragicos poëtas extat; *κῆνος* Aeolum est et in Sapphus quodam fragmento, quod Apollonius Dyscolus in libro de Pronom. p. 366. commemorat, reperitur; *τῆνος* doricum saepe apud Theocritum legitur. Quomodo autem hae formae, ex una radice prognatae, inter se cohaereant, §. 7. 2, b. est explicatum, consona alia in alia dialecto pro primigenia littera est adscita. *ε*, quod apud Iones et Atticos voci praeponitur, Graeci ipsi addiderunt, uti §. 4. 3. eos fecisse vidimus. *ει* et *η* diphthongi ex *ι*, primigeniae vocalis productione, ortae sunt. *ν* autem littera ad radicem non pertinet, uti e cognatis adverbiis *ἐκεῖ*, *ἐκεῖθεν*, *ἐκεῖσε*, *ἐκεῖθι* apparet, sed declinationis tantum caussa inserta est, quod etiam in *τίς*, *τινός* pronominis declinatione factum esse constat.

3) *ὁ*, *ἡ*, *τὸ δεῖνα* hominem sive rem significat, cuius certam quidem et absolutam notionem animo concepimus, cuius vero nomen aut non possumus enuntiare aut nolumus. Ea vox apud poëtas non reperitur, neque apud Herodotum neque apud Thucydidem in usu est, sed inde a Platonis et Demosthenis aetate in prosa oratione usurpari coepit. De huius verbi origine nihil comperti habemus, neque quidquam, quod probari possit, a viris doctis de ea est expositum. Henricus Stephanus s. h. v. hoc pronomen ex *ὅδε* originem trahere putavit, quam sententiam etiam grammatici quidam veteres tenebant. Cf. Etym. Magn. p. 614. l. 56. *Οἱ γὰρ λέγοντες, ὅτι μία λέξις ἐστιν, λέγουσιν, ὅτι παρὰ τὴν ὅδε ἀντωνυμίαν γέγονεν ὁ δεῖνα καὶ ἐν συναιρέσει ὁ δεῖνα.* Alteram vocabuli partem *ἵνα* esse, possis coniicere. Nam *ἵνα ubi*, cum *ὅδε* compositum, sententiam efficit non ineptam, *is* sive *hic ubi*; sed si haec hujus verbi origo esset, *ὁδίνα*, non *ὁδεῖνα*, oriretur, nec, cur Graeci haec verba in *ὁ δεῖνα*, *τοῦ δεῖνος* disiunxissent, posset intelligi. Quare haud scio, an, quod ego propositurus sim, magis probabile videatur esse. Omnia adverbia, quae de-

demonstrationem aliquam indicant, in lingua sanscrita, latina ceterisque linguis cognati cum pronominibus demonstrativis arctissime cohaerent; neque a communi hac consuetudine Graeci recesserunt, quorum adverbia, quae demonstrativam potestatem habent si singula excusseris, e pronominis demonstrativi radice fere omnia nata esse cognosces. At quemadmodum apud Germanos accidit, ut *t* sive *th*, quae apud Gothos pronominis demonstrativi est prima littera, in pluribus dialectis germanicis in *d* litteram mutaretur, haud scio, an etiam apud Graecos pronominis demonstrativi initium in formis nonnullis sit in hanc litteram attenuatum. Nam δεῦρο et δεῦτε, quae magnam demonstrandi habent vim, et δηθά et δηθάκις, quod Hesychius πολλὺν χρόνον, συνεχῶς et δῆθεν, quod idem ὡς δή et ἐντεῦθεν interpretatur, et δῆτα, quod Suidas οὕτως et Hesychius οὕτως et τοίνυν explicat, ea omnia adverbia ad radicem quandam demonstrativam, a δ littera incipientem, referenda esse videntur. Eodem in loco δέ particula est habenda, de qua supra Nr. 2. locuti sumus. Sunt etiam quaedam δείς pronominis vestigia. Nam in Etymol. Magno p. 639. l. 16. οὐδείς non ex οὐδέ et εἷς, sed ex οὐ et δείς pronomine compositum esse affirmatur, eoque in loco Zenobius, ut δείς pronomen in usu fuisse ostendat, ex Alcaei carminibus hunc locum affert: κοὐδὲν ἐκ δενὸς γένοιτο, quem locum corruptum esse, plerique, qui Alcaei fragmenta ediderunt, putaverunt et κοὐδὲν ἐξ οὐδενὸς γένοιτο, *nihilum e nihilo nasci*, scriptum fuisse coniecerunt. Sed quum Zenobius δείς pronomen aliquo testimonio comprobare vellet, eum locum corruptum aut non satis intellectum citasse, non credibile est. Accedit, quod apud Bekkerum in Anecd. graec. p. 1362. l. 1. δέν commemoratur, additurque ἰσοδυναμεῖ τῷ τί. Itaque apparet, illum Alcaei locum recte se habere, et vertendum esse: *nihilque ex illa re oriatur.* Num vero recte contenderint, οὐδείς e δείς pronomine esse compositum, id propter οὐδεμία incertum est, neque ego nunc diiudicaverim. Hoc unum ex his omnibus efficitur, pronomen quoddam demonstrativum, quod a *d* littera inciperet, apud Graecos in usu fuisse. Ex hoc quidem pronomine δεῖνα arbitror ortum esse. Uti ἵνα *quo in loco*, ita δεῖνα *hoc in loco* significat. Neque hoc adverbium nominis induisse naturam et casuum formas quasdam assumpsisse, mirum est. Nam alia quoque adverbia, pronominibus affixa, instar nominum declinata sunt. Huius generis est ὅδε, cuius dativus pluralivi τοῖςδεσι et τοῖςδεσσιν aliquoties apud Homerum reperitur. (Cf. §. 6.3, e.) Atque declinatio commodissima videbatur ὁ δεῖνα, τοῦ δεῖνος, alii etiam τοῦ δείνατος fecerunt, quae forma, quanquam apud neminem scriptorum usurpata reperitur, tamen Etymologici Gudiani confirmatur auctoritate, in quo haec leguntur p. 418, 35.: Εἰ γὰρ ἦν (ὁ δεῖνα) μία λέξις, οὐκ ὤφειλε κατὰ πτῶσιν ἐναλλάττεσθαι ἡ ἄρχουσα, οἷον ὁ δεῖνα, τοῦ δείνατος, τῷ δείνατι. Etiam δεῖν nominativum Graeci, originis verbi ignari et inscii, finxerunt. Cf. ibid. l. 47. λέγεται καὶ ὁ δεῖν, τοῦ δεῖνος, τὸν δεῖ

4) Pronominis relativi apud Graecos forma longum per tempus a simplice pronomine demonstrativo nihil differebat, cuius rei caussa quae sit et ratio, §. 7. 4. exposuimus. Atque apud Homerum omnes pronominis demonstrativi formae, et recentiore aetate apud Iones et Dores, quae a τ littera incipiunt formae, pro relativo usurpatae reperiuntur. Attici vero discrimen, quod relativum inter et demonstrativum pronomen esse sentiebant, ita significarunt, ut in relativi usum adhiberent formas, a spiritu aspero incipientes accentuque signatas. Neque ulla apud atticos scriptores veteris usus sunt testimonia, nisi apud poëtas tragicos, quorum in fabulis formae a τ littera incipientes nonnumquam pronominis relativi loco positae sunt. Quemadmodum autem e *ΤΟΣ*, demonstrativo pronomine, ὅς relativum factum est: sic e τίς, quod pronominis demonstrativi aliquando habuisse significationem (cf. §. 7. et 9. Nr. 3.) dubitari non potest, etiam ἵ sive ἵς relativum videtur formatum esse, cuius quae singula vestigia reperisse nobis videmur, ea §. 5. 5. exposuimus.

§. 9.

DE GRAECORUM PRONOMINE INDEFINITO ET INTERROGATIVO.

1) In linguis, de quibus hic agimus, pronomen indefinitum et interrogativum eodem vocabulo exprimuntur. Id quomodo fieri possit, §. 7. 4. paucis attigimus. Verumtamen de ea re fusius exponendum est, quum ista pronomina vulgo plurimum inter se differre videantur. Sed re accuratius cognita, congruere ea potius, quam inter se discrepare videbimus. Utrumque enim pronomen rem, mente quidem et cogitatione a ceteris disiunctam, sed eandem tamen incertam significat. Et si nostra non admodum interest scire, quae et qualis sit illa res, tum pronomine indefinito utimur; sin vero ab iis, quibuscum colloquimur, postulamus, ut de ea re, nobis adhuc ignota, nos certiores faciant, i. e. si eos interrogamus, aliqua necessaria est interrogationis significatio. Ac saepe quidem vocis flexione maiorive intentione audientes ad respondendum invitamus. Ita et Graeci et Romani multis in sententiis interrogativis particulam interrogativam pronomenve interrogativum omittunt. Cf. Soph. Antig. 441.

σὲ δὴ, σὲ τὴν νεύουσαν ἐς πέδον κάρα,
φῂς ἢ καταρνεῖ, μὴ δεδρακέναι τάδε;

ibid. 449.

καὶ δῆτ᾽ ἐτόλμας, τούσδ᾽ ὑπερβαίνειν νόμους;

Terent. Heautont. V, 1, 46.

Non tu te cohibes? non te respicis?

Cic. Brut. §. 300. *Tu orationes nobis veteres explicabis? Vero inquam.* Cic. Tusc. II, 26. *Fuisti saepe, credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum? Vero ac lubenter quidem.*

Atqui quum in interrogando nulla fere notio saepius recurrat, quam personae sive rei, incertae quidem, sed e cetero tamen rerum ordine exemtae, factum est, ut pronomen indefinitum sensim pronominis interrogativi vices sustineret. Sed quum in utroque pronomine enuntiando quaedam esset soni diversitas, Graeci id accentu significarunt. Indefinita enim pronomina ab iis numerantur in verbis encliticis, interrogativa autem omnia sunt *ὀρθοτονούμενα.*

2) Deinceps dicendum est, num *τίς* pronomen indefinitum et interrogativum iure inter pronomina retulerimus. Nam id recte fieri, Apollonius Dyscolus in libro de Pronomine p. 295. negavit, eiusque sententiam inter recentiores secutus est Bernhardyus in linguae gr. Syntaxi, p. 439. Sed quae Apollonius a forma atque declinatione repetit argumenta, ut *τίς*, *τί* ad aliud verborum genus atque ad pronomen referendum esse ostendat, ea pro nihilo sunt habenda. Primum enim forma et declinatio, quum plane eadem sit, atque pronominis demonstrativi, nihil impedit, quominus pronominibus demonstrativis hoc verbum adnumeremus. Deinde autem, si verum est, quod supra contendimus, pronomina demonstrativa in universum efficere, ut oculos mentesque ad rem aliquam convertamus, eamque e rerum eiusdem generis quasi cumulo ac serie eximamus, apparet, eandem vim et pronomen indefinitum et interrogativum habere. Quare si *οὗτος*, *αὕτη*, *τοῦτο*, *ὅδε*, *ὁ δεῖνα* recte in pronominibus numerantur, id quod §. 7. 1. pluribus explanavimus, dubitari nequit, quin *τίς* quoque inter pronomina sit referendum.

3) Pronominis indefiniti usitata forma est *τίς*, eademque, ut supra expositum est, interrogativi forma, sed sunt praeterea etiam aliae. Primum ipsius articuli formam hunc in modum usurpatam fuisse, sunt certa nonnulla indicia. Nam *τοῦ*, *τῷ*, *τέων*, *τέοισι*, *τοῖσι*, *ὅτων*, *ὅτοισι*, et *ὀτέῃσι*, quae indefiniti et interrogativi loco dicuntur, e quanam, nisi ex articuli forma, recte derivari possunt? Negat quidem hoc Buttmannus Gramm. gr. max. §. 77. adn. 2. et 3., et has pronominis indefiniti formas ab articulo primitus diversas fuisse contendit. Quae autem duo sententiae suae affert argumenta, ea rem non videntur probare. Alterum est, quod articulus tria habeat genera, voces autem eae, quas pro indefinito pronomine dici supra docuimus, generis sint communis. At primum feminini etiam generis forma quaedam *ὀτέῃσι* extat. Deinde Graecos, quum in altera pronominis indefiniti forma *τις* genera confunderent, in

articulo quoque, si indefiniti pronominis habebat significationem, genera non disiunxisse, non mirum est. Atque id eo magis facere potuerunt, quod articulus etiam, ubi propriam suam tenebat significationem, nonnunquam genera non discernebat. Cf. Scholiast. ad Soph. Ai. v. 291. *Εἰώθασιν οἱ Ἀττικοὶ τὰ θηλυκὰ ἄρθρα ἀρσενικῶς ἐκφέρειν, ἀντὶ τοῦ τῆς, τοῦ λέγοντες. Ἔστι δὲ τοῦτο ὅμοιον τῷ παρ' Εὐριπίδῃ· οὔτε του δόξης ἐρῶ. Εὕρηται δὲ καὶ παρ' Ἰσοκράτει πολλὰ τοιαῦτα. Καὶ κοινῶς, ὡς ἔπος εἰπεῖν, παρὰ πᾶσι λογοποιοῖς· τῷ χεῖρε.* Alterum autem, quod Buttmannus a dialectis repetit, argumentum pertenue est. Nam quod *τοῖο* apud poëtas epicos semper articuli, *τέο* et *τεῦ* apud Iones et Dores semper indefiniti pronominis habet potestatem, inde nihil possumus nisi hoc concludere, Graecos, quanquam articulo pro indefinito uterentur, tamen, ubi formae variarent, aliam ad articulum formam, aliam ad pronomen indefinitum significandum adhibuisse. Atque articulum antiquitus pronominis indefiniti habuisse significationem, quum ex iis, quae §. 7. exposuimus, possit coniici, tum inprimis *τοί* particula confirmari videtur. Ea enim ex articulo, ita ut *οἴκοι* ex *οἶκος*, orta significat *in aliqua re*, quo verbo aliquid verum esse et rerum experientia tanquam fundamento niti, indicatur. Neque Grimmius (Gramm. germ. tom. III. p. 21.) audiendus est, qui *τοί* secundae personae esse dativum quasi ethicum, quem vocant, eumque paullatim affirmandi vim accepisse credit. Iam superest, ut de *ΠΟΣ* et *ΚΟΣ* formis, quas §. 7. 5. in indefiniti pronominis formis posuimus, nonnulla addamus. Eae enim, quamvis non reperiantur in linguae graecae monumentis, tamen quin aliquando in usu fuerint, vix dubium esse potest. Ex his enim verbis *πώ, πώς, ποθέν, ποτέ, πού, ποί, πή, ποιός, ποσός* indefinita vocabula, et *πῶς, πόθεν, πότε, ποῦ, ποῖ, πῆ, ποῖος, πόσος, πηλίκος* interrogativa, quaeque Iones per *κ* litteram efferunt, *κῆ, κόσος, κοῖος*, etc., sunt profecta.

4) Denique de *ἄττα*, singulari aliqua forma, quae cum adiectivis saepe componitur, aliquid dicendum est. *Ἄττα* sive *ἄσσα* significat *τινά*: *δεινὰ ἄττα, μικρὰ ἄττα*, (cf. Heindorf. ad Plat. Theaetet. p. 148. C.) praeterea etiam *ἄσσα* reperitur, (cf. Maittair. de gr. ling. Dial. p. 29. A.). Optime de ea forma Eustathius p. 148. l. 38. disputat. Is enim haec habet: *Ἄσσα, ἅτινα, ἐκ τοῦ ἃ καὶ τοῦ σά, ὃ δηλοῖ τὸ τινά Μεγαρικῶς καὶ Δωρικῶς. Φασὶ δὲ οἱ παλαιοί, ὅτι τρία σημαίνει τὸ ἄσσα. τὸ ἅτινα, καὶ τὸ ὅσα καὶ δασύνεται· καὶ τὸ τινά καὶ ψιλοῦται.* Atque *ἄσσα* quidem facilem habet explicatum. Nam quum pro *τινά* dici possit *τά* sive *σά*, eiusdem litterae repetitio nihil habet, quo offendat; nam et *ὅττεο, ὅττευ* dicitur; idque cur dicatur, §. 7. 2, b. explicare studuimus. At enimvero quomodo *ἄττα* ortum atque compositum sit, id me fugere fateor. Hoc unum, si *ἄσσα* sive *ἄττα* comparamus, coniici posse videtur: quemadmodum *ἵ*, tertiae personae radix, extiterit, (cf. §. 5. Nr. 4.): sic etiam pronomen quoddam *Ὄ* sive *ὌΣ, Ἤ, Ὄ* antiquitus fuisse, aut, ut rectius

dixerim, ι' pronomen in declinatione in alterum transisse. Similiter vocalis apud Latinos in *ille* et *ollus* variat. Accedit linguae sanscritae exemplum, in qua item duplex tertiae personae pronomen videtur in usu fuisse: *ae* ex *i* productum et *a*. (Cf. Bopp. Gramm. sanscr. §. 270, 1. et 4.)

§. 10.

DE PRONOMINIBUS GRAECORUM INTERROGATIVIS INDIRECTIS.

Enuntiationes, quibus interrogamus, aut liberae sunt, aut ex alia enuntiatione pendent. Romani in utroque interrogandi genere eodem usi sunt pronomine interrogativo: *quis fuit? quaero, quis fuerit?* Graeci vero utrumque interrogandi genus diversis formis expresserunt, atque, ubi interrogatio ex aliena notione pendebat, *ὅςτις* pro *τίς*, *ὁποῖος* pro *ποῖος*, *ὁπόσος*, *ὁπόθεν*, *ὁπότε*, *ὅπως*, etc. dixerunt. Quae vero littera vocalis interrogativis simplicibus praeponitur, eam relativi pronominis esse radicem, ex *ὅςτις* declinatione, in qua *οὗτινος*, *ὧτινι* et *ὅτου*, *ὅτῳ*, etc. promiscue inveniuntur, satis apparet. Videmus igitur, *ὁ* antiquitus quidem declinatum, post vero indeclinabile esse redditum, cuius rei §. 6. 3, e, exempla quaedam enumeravimus. Quomodo factum sit, ut pro *ὁποῖος*, *ὅποτε* et ceteris etiam *ὁππoῖος*, *ὁππότε* dictum sit, id §. 7. 2, b. explicatum est. Neque tamen in hoc altero interrogandi genere his quidem formis semper sunt usi, sed interdum etiam simplicia pronomina, in brevioribus potissimum membris, adhibuerunt. Soph. Electr. 316. *ἱστόρει, τί σοι φίλον*; Xenoph. Anab. IV, 5, 10. *ἠρώτων αὐτούς, τίνες εἶεν*; (Cf. Elmslejum ad Eurip. Med. 1103.) Sunt etiam loci, in quibus has interrogationes simplice relativo *ὅς* expressas videmus. Soph. Oed. C. 1171. *ἔξοιδ' ἀκούων τῶνδ', ὅς ἐσθ' ὁ προστάτης.* (Cf. Matth. Gramm. gr. §. 485.) Neque id sine consilio ac ratione factum est. Nam quum omne pronomen interrogativum proprie sit indefinitum, indefinitum autem cum pronomine demonstrativo arctissime cohaereat, facile intelligitur, cur ad interrogationes, quae ad aliam enuntiationem referendae sunt, id pronomen adhibuerint, quod et demonstrandi et relationis vim habet. Interrogationem enim in eiusmodi enuntiatione inesse, ex cetera sententiarum cohaerentia est perspicuum. Denique commemorandum est, pronomina, quae interrogationibus, ex alia enuntiatione pendentibus, inserviunt, etiam in interrogationibus, quae liberae videntur esse, usurpari, ac primum quidem in respondendo, cf. Aristoph. Ran. 198. *οὗτος τί ποιεῖς; Διον. ὅ τι ποιῶ; τί δ' ἄλλο γ' ἢ κ. τ. λ.* (Cf. Brunck. ad Aristoph. Thesmoph. 630. Heindorf. ad Plat. Hipp. p. 153.) Sed in his responsionibus interrogatio ex antecedente oratione pendet. Sunt tamen etiam loci, in quibus pronomen indirectae interrogationis usurpatur, quanquam interrogatio directa est atque

simplex. Id et nonnullis antiquiorum scriptorum testimoniis comprobatur, et seriore aetate magis frequentatum est. Cf. Eurip. Rhes. 699.

τίς ἢ πόθεν ἢ ποίας πάτρας;
ὁποῖον εὔχεται τὸν ὕπατον θεῶν;

Cyrill. c. Iulian. III. p. 76. C. Οὓς γὰρ ἀξιόχρεως εἶναι νομίζουσι γράφοντας τὰ περὶ θεῶν, ἀνθ᾽ ὅτου περιϋβρίζουσι τοῖς ἑτέροις αὐτῶν ἀπιστοῦντες λόγοις; ibid. V. p. 196. C. Ἀνθ᾽ ὅτου γὰρ δὴ, φαίη τις ἂν αὐτοῖς, τὸν τῶν ὅλων ἀτιμάσαντες θεὸν, τὸν ἕνα καὶ φύσει, προςνενεύκασι τοῖς ἑτέροις, τοῖς ψευδονύμοις καὶ τοῖς οὐκ οὖσιν ὅλως; Pluribus hoc dicendi genus exemplis Lobeckius ad Phrynich. p. 57., e quo illa petita sunt, confirmavit.

§. 11.

DE GRAECORUM PRONOMINIBUS RECIPROCIS.

Pronominis reciproci duplex est ratio. Nam omnis actio aut ad subiectum agens refertur et quasi reciprocatur, aut ad aliam notionem, non in eadem sententia, sed extra eam commemoratam, pertinet. Ac de altero quidem pronomine reciproco §. 6. uberius est expositum. Iam superest, ut de *αὐτός*, altero pronomine, dicamus, omnibus tamen, quaecunque alii grammatici graeci de huius pronominis usu et constructione ante nos recte et diligenter exposuerunt, hoc in loco omissis, cum non grammaticam conscribere, sed quae prima et propria verborum vis fuerit et significatio, indagare, et quasi fontes, e quibus multiplex pronominum usus derivari et explicari possit, aperire, nobis sit propositum. Quodsi *αὐτός* pronominis originem spectas, hoc ex *αὖ* particula et *τός* pronomine demonstrativo videtur esse compositum. Itaque proprie *iterum hic* exprimit, neque est haec significatio ab usu huius pronominis aliena. Nam notionem, quae iam ante sit commemorata, nunc repeti indicat. Atque huic verbo proprie demonstrandi vim inesse, quum ex aliis, tum inprimis ex iis Homeri locis intelligitur, in quibus *αὐτός* *idem* significat. Cf. Il. XII, 223.

— — ἡμεῖς, εἴπερ τε πύλας καὶ τεῖχος Ἀχαιῶν
ῥηξόμεθα σθένεϊ μεγάλῳ, εἴξωσι δ᾽ Ἀχαιοί,
οὐ κόσμῳ παρὰ ναῦφιν ἐλευσόμεθ᾽ αὐτὰ κέλευθα.

Quod Homeri exemplum ceteri poëtae epici secuti sunt. (Cf. Schaeferi Melet. p. 65.) Neque tamen mirum est, si, quae demonstrandi vis huic verbo inerat, ea multo usu imminuebatur, ita ut attici scriptores semper, si *idem* significare vellent, *ὁ αὐτός* dicerent. Deinde e prima huius vocis significatione hoc apparet, cur *αὐτός*, quum eandem notio-

nem repetat et quasi inculcet, in universum accipiat augendi et exaggerandi potestatem. Itaque ad verbum aliquod additum vim eius intendit, dilatat et amplificat, et sine alio substantivo *αὐτός* saepe eum, qui in re aliqua dux est et princeps, significat. Tum pro simplice tertiae personae pronomine usurpatur, in quo arctissima pronominis reciproci inest significatio; ea enim tantum in obliquis casibus, nunquam in nominativo locum habet. Pluribus de hoc pronomine egit Hermannus ad Viger. p. 733. sqq. Cum altero pronomine reciproco ad significationen eius magis efferendam et intendendam saepe coniunctum est. (Cf. §. 6. 3, a.)

§. 12.

DE ROMANORUM PRONOMINIBUS DEMONSTRATIVIS.

Apud Romanos eadem est, atque apud Graecos, pronominum distinctio. Atque demonstrativa quidem apud eos reperiuntur, *hic*, *iste*, *ille*,

relativa *is*, *qui*,
indefinita *quis*, *aliquis*,
interrogativum *quis*,
interrogativum indirectum *quis*,
reciproca *sui*, *idem*, *ipse*.

1) Romanorum pronomen *hic*, *haec*, *hoc*, e qua sit radice ortum, §. 7. accuratius est a me expositum; *c*, quae littera plurimorum casuum formis adhaeret, ea e *ce* est correpta. Eadem syllaba *is*, *iste*, *ille* pronominibus et *tum*, *num* et *en* particulis adiungitur. Habet ea vim demonstrandi, quae, quum in *hic* multo usu imminuta vel deleta esset, denuo eidem verbo in *hicce* ea syllaba est addita. *Ce* autem illud quaeritur cuius sit originis? Id equidem ex ipsa pronominis demonstrativi radice ortum esse autumaverim, ita ut in *hic* et *hicce*, uti in *οὗτος*, (cf. §. 8. 2.) formas sibi cognatas repetitione quasi coacervatas esse credam. Nam ex una pronominis demonstrativi littera primigenia et *t* et *qu* sive *c* litteras prodire posse vidimus; *ce* autem syllabam praeter consuetudinem demonstrandi vim accepisse, putandum est, quum ista littera ad pronomen relativum, indefinitum et interrogativum exprimendum esset adhibita. Quodsi verum sit, liceat, *qui*, *quis* vocabulis comparatis, coniicere, *ci* fuisse propriam formam, quam extare puto in *hiccine*, *illiccine*, *nunccine*, *siccine*, eam autem postea in *ce* esse attenuatam.

2) *Iste* ex *is*, tertiae personae pronomine, et *te*, quae pronominis demonstrativi est radix, (cf. §. 7.) Boppius in libro supra commemorato p. 71. compositum esse censet, quanquam *s* littera, quae in nominativo masculini generis casu recte se habet, in ceter

declinatione retenta aliquantulum offensionis habet. Alia forma est *istic*, cui verbo sunt, qui *h* perperam inserant. Primum enim *h* in antiquis exemplaribus deest; tum non ex *iste* et *hic*, sed, ut videtur, ex *is* et antiquiore pronominis demonstrativi forma *tic* (de *c* enim littera supra egimus) compositum est.

3) Cum *ille* pronomine non habeo neque ex aliis linguis neque e latina, quod, si solius formae rationem habeo, comparare possim. Pro *ille* antiquitus dicebatur etiam *ollus*, cuius nominativus ab *ille* differt, cetera autem declinatio est eadem. De hoc verbo Varro de Lingua latina VII. p. 327. exempl. Spengel. haec habet: *Apud Ennium*

Olli respondet suavis sonus Egeriai.

Olli valet dictum illi, ab olla et ollus, quod alterum comitiis quom recitatur a praecone, dicitur Olla centuria, non illa; alterum apparet in funeribus indictivis, quo dicitur Ollus leto datus est. Sed quanquam adhuc apud Lucretium et Virgilium hoc verbum extat, tamen iam illo tempore in obsoletorum numero habebatur, id quod Quintilianus VIII. c. 3. his verbis narrat: *Verbis dignitatem dat antiquitas: namque et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus: eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unice est usus. Olli enim et quianam et mis et pone pellucent.* Etiam *olus* antiquitus in usu fuit, idque Festus (in Except. Pauli Diac. p. 16. exempl. Lindem.) his verbis testatur: *Ab oloes dicebant pro ab illis; antiqui enim litteram non geminabant.* Idem apparet ex *olim*, i. e. illo tempore. (Cf. §. 17.) *Solus* quoque pronomen huc pertinere videtur; quod verbum alii cum ὅλος comparant, et ex eo factum esse credunt; at hoc et metro et significatione verbi refellitur. Ὅλος enim *totus* plane aliud quid est, atque *solus*. Aliis illud e *se* praepositione atque *alis* sive *alius* verbo compositum videtur, ut proprie *sine alio* significet. Verumtamen haud scio, an multo rectius iudicemus, e *se* praepositione et *olus* coaluisse, *sine illo*, quod quomodo cum verbi notione congruat, ex iis, quae de propria *ille* vocis significatione exponemus, satis apparebit. *Se* enim cum pluribus componitur verbis: *segnis* enim est sine igne, *socors* sine corde, *sobrius* sine ebrietate, *securus* sine cura, *solvere* pro se luere (λύειν) dictum est.

4) Deinceps exponendum est, quomodo *hic*, *iste*, *ille* significatione inter se differant, qua de re grammatici inter se non consentiunt. Ac Priscianus quidem Instit. gramm. XVII, 9. §. 58. haec habet: *Demonstrativa hic, iste et ille. Sed interest, quod ille spatio longiore intelligitur, iste vero propinquiore; hic autem non solum de praesente, verum etiam de absente possumus dicere, ad intellectum referentes demonstrationem.* Sed multo distinctius Laurentius Valla Elegant. II, 4. *De me loquens dicere debeo: hoc caput, haec manus, haec civitas; de te vero: istud caput, ista ma-*

manus, ista civitas; de tertia autem persona: illud caput, illa manus, illa civitas. Huius sententiam Ruddimannus in Institutt. grammatt. secutus est, qui lib. II. haec pronomina ita distinguit: *hic ad primam personam solet referri, iste ad secundam, ille ad tertiam*, quam sententiam recentissimo tempore tutatus et longius persecutus est Grysarius, (Theorie des lat. Styls, 1831, p. 73.). Contra et Scaliger in libro, qui de Caussis linguae latinae inscribitur, ubi de his pronominibus agit, (VI, 128.) in alia omnia discedit, et Stallbaumius Ruddimanni de ea re praecepta ita comparata esse monet, ut nullo modo probari queant. Itaque denuo in eam rem inquirere et quid sit inter haec pronomina discriminis indagare, idque ita confirmare placet atque stabilire, ut omnem scrupulum, qui quempiam male habere possit, ex eius animo evellamus. Atque Graecos quidem proprie duo tantum habere pronomina, quae locum demonstrent, satis notum est, alterum *ὅ*, sive *ὅδε*, sive *οὗτος*, alterum *κεῖνος* sive *τῆνος*; eaque ita differre, ut *ὅ* res, quae loquenti sint propiores, significet, *κεῖνος*, quae sint a loquente remotiores, §. 8. 2. est expositum. Graeca autem lingua in ea re et subtilitate et perspicuitate multum vincitur a latina, quae tria, quae locum indicant, habet pronomina. Nam quemadmodum personarum tria sunt pronomina necessaria, et loquentis, et audientis, et eius, de quo agitur: sic in iis pronominibus, quibus, quo in loco res aliqua versetur, significatur, triplicem illam rationem haberi par est. Etenim propter locorum, in quibus res aliqua possit esse, et multitudinem et diversitatem unum pronomen demonstrativum orationis perspicuitati non satisfecit, sed plura videbantur esse necessaria. At quum hominis nihil magis intersit, quam scire, num res aliqua ad se ipsum, an ad eum, quocum loquatur, an denique ad tertium quendam pertineat, quid eius naturae erat convenientius, quam quod has personarum notiones ad alias quoque res transtulit et quem locum res aliqua teneret significaturus, personarum ratione habita, aliud pronomen finxit, quo rem aliquam loquenti, i. e. primae personae, propinquam esse ostenderet; aliud, quod ad locum, in quo auditor consisteret, i. e. ad secundam personam, spectaret; aliud denique, quod rem aliquam et a loquente et ab audiente remotam et ab utroque intervallo seiunctam esse indicaret? Quod quantopere mentis humanae naturae sit accommodatum, potest inde perspici, quod aliae etiam linguae, si, quo in loco res aliqua versetur, declarare volunt, item, cuinam de tribus personis ea sit proxima, significant, id quod Guilielmus de Humboldtus uberrime et subtilissime exposuit in libello, quo, quae inter loci adverbia atque pronomina in quibusdam linguis cognatio intercedat, edocu[it] (Berolini, 1830). Nam, uti ille refert, in lingua, qua in Amicitiae Insulis utuntur sunt particulae, quarum usu et significatione, quae docuimus, egregie confirm[antur]. *Mei* enim rem aliquam ad loquentem dirigi et admoveri significat, *atu* autem

loquente ferri ad audientem, *angi* denique rem a loquente ad eum, de quo sermo agat, sive, ut brevius dicam, ad tertiam ferri personam; eaeque voces haud raro pro ipsis pronominibus personalibus usurpantur. Lingua tagalica quatuor habet pronomina demonstrativa: *dini*, *dito*, *diyan*, *dion*, quorum idem est discrimen. Nam *dini* ad primam personam, *dito* ad alteram refertur, *diyan* et *dion* ad personam sive rem, et a loquente et ab audiente seiunctam, *diyan* autem eandem aliquanto propiorem, *dion* remotiorem. Idque longioris et brevioris intervalli discrimen lingua bisayica, una e linguis, quibus in Insulis Philippinis utuntur, accuratius et subtilius indicat. Sex enim ea habet pronomina demonstrativa, e quibus bina ad singulas tres personas referuntur et his personis res sive propiores sive aliquanto ab iis remotiores esse indicant. Apud Chinesos quoque *tsche*, *na* et *nai* eodem modo usurpari Humboldtus p. 12. narrat; *tsche* enim, quae loquenti sunt propinqua, significat, *na*, quae audienti, *nae*, quae sunt remotiora. Atque lingua iapanica duplicem pronominum demonstrativorum habet seriem, alteram *kono*, *sono*, *ano*, alteram *kore*, *sore*, *are*, quorum illa semper cum substantivis iunguntur, haec sine substantivo usurpantur; praeterea autem hoc eorum est discrimen, quod, quae a *ko* incipiunt pronomina, ad primam personam, quae *so* in prima syllaba habent, ad alteram referuntur; cetera autem duo *ano* et *are* locum ostendunt, et a loquente et ab audiente seiunctum. Eadem denique in lingua armenia est pronominum demonstrativorum ratio. Nam quum triplex eorum sit ordo:

sa, *ta*, *na*,
ais, *ait*, *ain*,
suin, *tuin*, *nuin*,

eorum is est usus, ut *sa*, *ais*, *suin* ad loquentem, *ta*, *ait*, *tuin* ad audientem, *na*, *ain*, *nuin* ad personam, a loquente et audiente disiunctam, referantur.

Quodsi supra rationibus planum fecimus, hominis animum eo ferri, ut, quo in loco res quaeque versetur, si ostendere velit, et loquentis, et audientis, et eius, de quo sermo fit, rationem habeat, idque factum esse multarum linguarum exemplis comprobatur, cur Graeci et Germani trium personarum in pronominibus demonstrativis non habuerint rationem, mirari possumus, Romanos autem tria eiusmodi pronomina habere magnum commodum esse iudicabimus. Nam *hic* locum significat, loquenti, *iste*, audienti proximum, *ille* locum et a loquente et ab eo, quocum loquimur, disiunctum. Id quanquam testimoniis, e latinis scriptoribus petitis, abunde comprobavit Grysarius, tamen ut huic nostrae disquisitioni ex omni parte satisfactum esse videatur, nos quoque eum usum paucis exemplis confirmare iuvat atque illustrare. Cf. Cic. ad Fam. II, 11. *Putaresne, unquam accidere posse, ut mihi verba deessent; neque solum* *i s t a v e s t r a*

oratoria, sed haec etiam levia nostratia? Id. Acad. IV, 33. *Iisdem enim hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus iste vester caelum, terram, mare intuebitur.* Senec. epist. 43. *Non est, quod te ad hunc locum respiciens metiaris: ad istum respice, in quo moraris.* Cic. de Nat. Deor. II, 29. §. 74. *Ita salem istum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolitote consumere.* Eadem notio in *istic.* Cf. Cic. in Caecil. 9. §. 27. *Ego jam tibi ipse istuc, quod expetis, mea voluntate concedam. Ille* autem de tertia persona dicitur, aut, ut Priscianus paullo incertius ait: *demonstrativo ille persona denotatur aut absens aut longe posita.* Conf. Cic. pro Rabir. 11. *Sed si illos, Labiene, quos jam videre non possumus, negligis; ne his quidem, quos vides, consuli putas oportere.* Cic. ad Fam. II, 9. *Quid quaeris? dum illum rideo, paene sum factus ille.* Perspicuum autem est, qui *hic*, uti ὅδε, pro prima persona ipsa dici potuerit. Terent. Andr. 2, 1, 10. *Tu si hic sis, aliter sentias.* Plaut. Curc. 2, 1, 33. *Solus hic homo est, qui sciat divinitus.* Tibull. II, 6, 7. *Quod si militibus parces, erit hic quoque miles.* (Cf. Heindorf. ad Hor. Satir. I, 9, 47.) Deinde perspicuum est, cur *iste* potissimum de adversario in iudiciis, omnibusque de rebus, quae ad eum, quocum disceptamus, pertinent, sit dictum. Cf. Cic. pr. Rosc. Amer. c. 6. §. 17. *Erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria hujusce* (accusati) *praedia possidere audio; quas inimicitias si tam cavere potuisset, quam metuere solebat, viveret. Neque enim injuria metuebat: nam duo isti sunt Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est; iste, qui adest, Magnus vocatur.* Horat. Satir. I, 6, 92. *Sic me defendam. Longe mea discrepat istis*
et vox et ratio, i. e. sic se defendentibus.

Iste etiam saepe in contemptum dicitur, quoniam ira et ambitio impedit, quo minus diserte dicamus, rem eius esse, quocum colloquimur. Cic. Phil. II, 25. *Remove paullisper istos gladios,* et ibid. *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset, in conspectu populi Romani vomere postridie.* At verecundia quoque efficere potest, ut hominem, quem alloquimur, non ipsum nuncupemus, sed rem aliquam prope eum esse, ipsumque ea quasi abundare significemus, ita ut *iste* etiam maiestatis et amplitudinis habeat notionem. Cic. pro Rosc. Amer. §. 154. *Homines sapientes et ista auctoritate et potestate praeditos, qua vos estis,* etc.; intelligit autem iudices. Pro Mur. c. 6. §. 13. *Quare quum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio.* Cic. de Offic. II, 2. *Quanquam in antiquissima nobilissimaque philosophia, Cratippo auctore, versaris, iis simillimo, qui ista praeclara pepererunt.*

Sed quum saepe de duabus tantum rebus sermo sit, quarum altera propior, altera remotior est, eam quidem, quae et a loquente et ab audiente remota erat, per *ille* significarunt, ad propiorem autem rem ostendendam *hic* adhibuerunt. Quodsi qui fuerunt, qui *ille* etiam nonnunquam ad id, quod propinquius est, *hic* ad remotius referri docerent, et in eam rem Propert. III, 14, 17. citarent:

Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis:
Hic victor pugnis, ille futurus equis

et Cic. pro Rosc. Com. c. 2. *Quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? Quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae: haec delentur statim, illae servantur sanctae: haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem amplectuntur*; isti quidem non viderunt, in his multisque aliis locis *hic* pronomine eas res significari, quae, quanquam verborum in ordine remotiores sunt, tamen sive quod sunt gravioris momenti, sive quod prius earum mentio facta est, iis, qui loquuntur, propiores videntur esse. Ad quam rem apposite conferenda sunt, quae Io. Theodoricus ad Laurentii Vallae Eleg. II, 5. adnotat: *In ea autem oratione, in qua adverbium quam haeret comparativo, in similibus quoque orationibus, id longius remotiusque censendum est, quod de ipso adverbio pendet: propinquius autem, quod de comparativo. Distantiam autem hic* (verborum Vallae rationem habet) *non loci aut temporis, sed animi intelligit, ut: matrem longe sincerius diligo, quam amitam. Haec enim me et genuit et aluit, illa nihil unquam* etc. Livius XXX, 30. *Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Haec in tua, illa in Deorum manu est.* Quam loquendi rationem in verbis quoque excessus et praelationis invenias. Cic. de Off. II. §. 63. *Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum antepono. Haec est gravium hominum atque magnorum: illa quasi adsentatorum populi.* Haec ille. — Praeterea *ille*, quum rem a loquente quidem seiunctam et remotam, eandem tamen aut conspicuam, aut ita notam, ut, etiamsi non adsit, tamen menti obversari possit, indicet, fit, ut hominis claritatem nominisque celebritatem significet. Cic. pro L. Man. c. 9. *Ut ex eodem Ponto Medea illa quondam perfugisse dicitur.* Nep. Thrasyb. 4. *Pittacus ille, qui.* Vellei. II. c. 41. *Magno illi Alexandro simillimus.* Hac ratione etiam cum prima et secunda persona iungitur. Ovid. Metamorph. I, 757.

Ille ego liber,
Ille ferox tacui.

Ovid. Metam. XII, 606.

Ille igitur tantorum victor, Achilles,
Vinceris a timido Graiae raptore maritae.

§. 13.

DE ROMANORUM PRONOMINE RELATIVO INDEFINITO ET INTERROGATIVO.

1) Pronomen relativum, indefinitum et interrogativum Romani eadem forma *quis* sive *qui*, *quae* sive *qua*, *quid* sive *quod*, de cuius origine §. 7. 2, c. dictum est, exprimunt. Atque Graecos aliosque populos, qui ad haec diversa pronominum genera formas adhiberent diversas, orationis et perspicuitati et subtilitati melius consuluisse, id quidem in aperto est. Romani tamen eo, quod uno verbo et relativum, et interrogativum, et indefinitum significarunt, certe antiquitatem tenacius videntur servasse. Quodsi huius verbi formam consideramus, in ceteris quidem casibus eadem declinatio, in nominativo vero singularis numeri est discrepantia quaedam. Nam *quis*, *qui*, et *quae*, *qua*, et *quid*, *quod* dicitur. Atque *quae*, et *qua*, quod est in *si qua*, *ecqua*, *ne qua*, *aliqua*, Romani promiscue videntur usi esse. Inter *quis* autem et *qui*, *quid* et *quod* hoc plerumque intercedere discrimen tradunt, quod alterum pronomen sit substantivum, alterum adiectivum. Sed *quis* quoque saepissime vim habet adiectivi. Cf. Plaut. Men. III, 2, 33.

Responde, adolescens, quaeso, quid tibi nomen est?

et ibid. Pers. IV, 4, 71. Plin. Paneg. 46. *quis terror*; 54. *quis jam locus*. Cic. pro Deiot. 13, 37. *Quae enim fortuna aut quis casus possit delere?* Earum autem formarum significationem proprie nihil differre, cum ex iis, quae §. 7. 2, c. de duplice huius verbi declinatione, tum ex iis, quae §. 8. 1. de eiecto nominativi signo, quae est *s* littera, disputavimus, satis apparere arbitramur. Utramque igitur formam et substantivi et adiectivi loco poni posse, concedendum est. Sed ubi duae unius notionis extant formae, assolet, uti linguarum historia testis est, fieri, ut aut altera plane pereat, aut sua utrique vis ac propria significatio usu tribuatur. Ita in hoc quoque pronomine factum est, ac plerique scriptores in usu horum verborum discrimen aliquod observaverunt. Hoc quod sit, optime mihi Kritzius ad Sallust. Catil. c. 44. exposuisse videtur; sed quae ille de solo pronomine interrogativo proposuit, ea etiam in indefinito et relativo pronomine valere arbitror. Itaque, ut Kritzii verbis utar, *quis* et *quid* pronomine utitur, qui nihil scire cupit nihilque significat praeter nomen, quo aliquam personam ab aliis dignoscere possit; *qui* et *quod* adhibet is, qui cognoscere vult, quique cogitat, quo ingenio quibusque moribus quave condicione, omnino qualis aliquis sit. De qua re Grysarium quoque consule, (Theorie des lat. Styls, p. 88.) qui apposite hunc Terentii locum comparat, (Eunuch. V, 1, 7.): T. *Quis fuit igitur?* Pyth. *Iste C*

Chaerea? Alia exempla simplicis pronominis interrogativi confer apud Kritzium et Grysarium ll. ll. Similis igitur ratio est compositorum *quisnam*, *nunquis* et *ecquis*, quae ita inter sese differre, uti supra significavimus, ex his locis apparet: Cic. pro Rosc. Amer. 37. §. 107. *Qui sunt igitur in istis bonis? Duo Roscii. Nunquisnam praeterea? Nemo est, judices.* Plaut. Aulul. IV, 9, 17. *Quinam homo hic ante aedes eiulans conqueritur?* Terent. Heaut. V, 2, 3. *Quodnam ob facinus?* Cic. Agrar. III, 4. §. 16. *Nunquis vestrum ad vim, ad facinus, ad caedem accommodatus est? Nemo.* Id. pro Deiot. c. 7. *Nunquae trepidatio? Nunqui tumultus? Nunquid nisi moderate et quiete?* De Off. I, 3. *Quaestio est, nunquod officium aliud alio majus sit.* Cic. Verr. III. c. 57. §. 131. *Ecquod iudicium Romae tam dissolutum fore putasti?* Ibid. c. 8. §. 18. *Ecqui pudor est? ecqua religio, Verres? ecqui metus?* Terent. Eunuch. V, 9, 1. *Ecquis me vivit fortunatior?* — In pronomine relativo *qui* et *quod* formae obtinuerunt; idque non sine ratione factum est, referuntur enim ad certam quandam notionem, cuius signa et singula indicia accuratius enarrantur. Quanquam etiam *quis* aliquando pro relativo in usu fuisse, e *quisquis* verbo, quod non potest quin inter pronomina relativa referatur, apparet. Nam in „*quisquis ades, faveas*“ *quis* habet potestatem pronominis relativi, quod, ut eius notio quasi extendatur et amplificetur, bis est positum. Itaque non dubito, quin etiam *quiqui* extiterit et recte scriptum sit apud Plaut. Aulul. IV, 10, 44.

Abeo, quiqui est, inde posces, neque furem excipies? Ly. *Ita.*

Quo in loco quamvis etiam *quisquis* in nonnullis bonis codicibus et vetustis exemplaribus legatur, tamen altera scriptura et antiquitatis specie et metro commendatur. — In pronomine indefinito eadem formae diversitas, neque tamen in *quis* et *qui* idem significationis discrimen reperitur. *Qui* maxime in usu est pone particulas *si*, *nisi*, *ut*, *ne*, *num*, *quo*, *quando*. Cic. pro Cluent. c. 12. *Itaque ei legat grandem pecuniam a filio, si qui natus esset.* Id. pro Caecin. c. 30. *Si qui meam familiam de meo fundo dejecerit, si qui mihi praesto fuerit cum armatis hominibus.* Atqui pone easdem particulas etiam *quis* et multo etiam frequentius quam *qui* reperitur, et, ubi istae particulae non adsunt, *quis* usurpari solet. Plaut. Pseud. V, 1. in fine: *Aperite, heus! Simoni me adesse quis nuntiate.* Tibull. 1, 10, 13.

Nunc ad bella trahor et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.

Qui, pronominis indefiniti forma, est etiam in verbis *quidam* et *quicunque*, e pronomine indefinito factis, de quorum significatione infra plura commemorabimus.

2) Supra sunt plura pronomina interrogativa a me commemorata, quae quomodo inter se differant et qua sint ratione usurpata, nunc dicendum est. De *quis* significatione non est, quod commoneamus; idque in omnis generis interrogationibus posse usurpari, facile apparet. Ubi de duobus quaeritur, *uter* dici solet. (Cf. §. 15.) *Ecquis* ex *en* particula et *quis* compositum, uti ex *en* et *ce*, *ecce* factum est. Conr. Schneiderus contra (Elementarlehre der lat. Sprache, p. 242.) hoc verbum de *et* copula esse derivandum credit, uti *iccirco*, *quicquam*, *quicquid* dicatur. Quod quanquam multis exemplaribus antiquis, in quibus *etquis* scriptum est, confirmari videtur, tamen primum hoc est ambiguum, num, etiamsi *d* littera ante *q* in *c* mutata sit, idem in *t* littera acciderit. Deinde *et* semper et ubique copulae vim habet, quam, si Conr. Schneideri sententiam sequeremur, in *ecquis* plane evanuisse putandum esset, id quod non est credibile. Ortum est igitur potius ex *en* et *quis*. Neque tamen cum Grysario p. 92. interrogationem in *en* particula inesse dixerim. Nam *en* per se non interrogat, sed animos tantum advertit ad rem praesentem, eaque vis etiam in compositione manet. Nam quod Grysarius contendit, in *ecquis* dubitationis inesse significationem, id tantum abest, ut probari queat, ut in *ecquis* vehementiae cuiusdam animique affectus notio insit. Quare oratores eo pronomine interrogativo utuntur, si rem non ita esse ac plane aliter se habere, interrogatione indicare volunt. Cic. Verr. II, 4, 11. *Ecquae civitas est, non modo in provinciis nostris, verum in ultimis nationibus, aut tam potens aut tam libera aut etiam tam immanis ac barbara; rex denique ecquis est, qui Senatorem populi Romani tecto ac domo non invitet?* Hoc est, omissa interrogatione: nulla profecto est civitas, nullus rex. Ibid. 8. *Heius sacra se majorum repetere abs te dicit. Ecqui pudor est? Ecqua religio, Verres? ecqui metus?* In Cic. Ep. ad Div. VIII, 15. Coelius ita epistolam exorditur: *Ecquando tu hominem ineptiorem quam tuum Cn. Pompeium vidisti, qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commorit? Ecquem autem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis?* Cic. ad Att. II, 2. *Sed heus tu, ecquid vides, Kalendas venire, Antonium non venire?* Nonnunquam etiam *ecquis* usurpamus, si magni nostra interest, quae qualisque sit ista res, de qua quaerimus, comperire. Cic. ad Fam. VII, 17. *Quid agatis et ecquid in Italiam venturi sitis, fac, plane sciam.* Cic. ad Att. VIII, 12. *Deinde aliquid etiam in posterum prospicias fingasque, quem me esse deceat, et ubi me plurimum prodesse reipublicae sentias; ecquae pacifica persona desideretur; an in bellatore sint omnia.* Verumtamen hoc quoque in usu animi quidam affectus, quem in *ecquis* voce inesse diximus, est conspicuus. Eius vocis vis intenditur etiam *nam* particul[illegible] *quisnam* dicit Cicero in Vatin. c. 16. *Audire a te cupio, ecquid audie*[illegible] *m tibi*

dixerit, C. Caesarem dixisse. — *Quisnam* minorem animi commotionem ostendit, quam *ecquis* in interrogando significat, quum *nam* particula tantum caussam esse et rationem, cur quaeramus, indicet. Plaut. Trin. V, 2, 45. *Cruciatur cor mihi et metuo.* Ca. *Quidnam id est?* Corn. Nep. Themist. c. 2. *Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis.* Neque *nam* cum *quis* in unum verbum coëat, necesse est. Plautus enim saepe *nam* ab interrogativo disiungit, idemque Cicero facit in sermone familiari. Cf. ad Brut. 2. *Quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratur.* Quid, quod? *nam* etiam praeponitur Virg. Georg. IV, 445.

Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos.

Nunquis e *num* interrogandi particula compositum, quare non inepte contendunt, *quis* eo in vocabulo pronomen esse indefinitum, et hoc verbo uti eum, qui dubitanter quaerat, quique, num res, de qua certior fieri cupiat, in universum ita sese habeat, apud animum suum reputet. Nam *Quis adfuit?* qui sciscitatur, is scit, adfuisse aliquem; qui vero *Nunquis adfuit?* quaerit, is, utrum quispiam, nec ne, adfuerit, ambigit.

3) Quomodo a *qui*, pronomine relativo, *quisquis* discrepet, id supra est expositum. E pronomine relativo praeterea *quicunque*, *quivis* et *quilibet* oriuntur; sed *quivis* et *quilibet* quoniam relativi exuunt naturam et ad indefiniti significationem accedunt, de iis alio loco infra agetur. *Quicunque* copiosius §. 27. explicabitur.

4) *Quis* pronomen indefinitum, quod in universum hominis reive notionem mente conceptam significat, late patet. Idcirco Romani huius pronominis potestatem augmentis quibusdam, quae singula recensere nunc mihi in animo est, accuratius definiverunt. Qua in re hoc ante commonendum est, quae de pronomine simplice tradentur et praecipientur, eadem de adverbiis, quae e pronominibus indefinitis oriantur, valere.

a) Ac primum quidem pro *quis* dixerunt etiam *quisquis*, quod, quum repetitio pronominis eandem notionem in animum revocet eamque confirmet, sententiam ad omnes, ad quos possit, pertinere, significat Liv. XLI, c. 8. *Liberos suos quibusquibus Romanis mancipio dabant*, i. e. Romanis, dummodo Romani essent, nec quidquam aliud curantes. Lucret. II, 957.

Inque suos quidquid rursus revocare meatus,

i. e. omnia, quaequae sunt, quae propter magnam rerum copiam accuratius definiri non possunt, ad quem versum Lambinus multos alios locos attulit. Saepenumero *quisquis* cum particulis et pronominibus relativis coniungitur. Cic. Tusc. V, 34. *Bestiae,*

ut

ut **quidquid** *objectum est, quod modo natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius.* Cic. Verr. IV, 13. *Ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut, ubi* **quicquid** *esset, aliqua ratione invenirent.* Hoc in loco *quicque* Zumptius edidit, quoniam sic postulet latinitas et *quicquid* non ponatur cum relativis, sed ipsum relativum sit. Atque alterum quidem, quod Zumptius contendit, verum est, *quisquis* relativum esse; neque tamen solum est relativum, sed etiam pronomen indefinitum, quod et e locis allatis, et ex *unusquisquis* verbo apparet. Quare quin etiam cum relativis *quisquis* ponatur, non est, quod dubitemus. Cic. ad Fam. VI, 1. *Quocunque in loco* **quisquis** *est, idem est ei sensus ex interitu rerum suarum.* Dicitur etiam *unusquisquis*, quo id, quod ad omnes spectet, etiam in singulos cadere indicatur et verbi notio confirmatur. Lucret. V, 1387.

Sic unumquidquid paullatim protrahit aetas
In medium.

Plaut. Trin. IV, 2, 39.

Sin unumquidquid singillatim et placide percunctabere,
Et meum nomen et mea facta et quae itinera ego faxo, scias.

b) Aliae pronominis indefiniti formae sunt *aliquis*, *quispiam*, *quisquam*, *quisque*, *quidam*, *quicunque*, *quivis*, *quilibet.* Atque haec quidem pronomina unam nominativi masculini formam habent, praeter *aliquis*, pro quo et *aliqui* in usu fuisse, testimoniis comprobat Vossius de Anal. IV, 8. *Aliquis* autem ex *alis* et *quis* compositum esse patet; itaque prima eius significatio est *alius quis*, eaque multis locis comprobatur. Cic. de Off. I, 7. *ira aut* **aliqua** *perturbatione incitatus.* Id. de Orat. II, 42. *Plura multa homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut* **aliqua permotione** *mentis, quam veritate.* (Cf. Oudend. ad Caes. B. c. I, 72.) Verum plerumque tamen *aliquis* pronomen affirmandi vim habet et id, quod mente conceptum esse, *quis* pronomen declarat, *alis* additum e ceteris eiusdem generis rebus eximit, et diversum esse ait, et ita eius notionem multo magis perspicuam, multoque certiorem et luculentiorem esse indicat. Cic. pro Font. 13. *Non modo nullum facinus hujus protulerunt, sed ne dictum quidem* **aliquod** *reprehenderunt.* Caecin. 11. *Quaero, sitne* **aliqua** *hujus rei actio an nulla?* De Offic. I, 38. *Quae cum* **aliqua** *perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, nec* etc. Quae affirmativa pronominis vis sensim ita obtinuit, ut compositionis *alius quis* significatio obscuraretur. Quare si rem quam [illegible] alia differre accuratius indicare voluerunt, potius *alius quis* dixerunt. Cf. [illegible]

Veiis incendium ortum sit, Fidenas inde aut Gabios, alíamve quam urbem quaesituri sumus, quo transmigremus. (Cf. Drakenborch. ad Liv. V, 13, 4.)

c) *Quispiam* et *quisquam* e pronomine indefinito et *quam* et *piam* particulis composita sunt; utramque autem particulam uno e pronomine indefinito esse derivatam et proprie eandem habere significationem, §. 7. 2, c. et §. 22. demonstratum esse arbitror. Ad indefinitum igitur pronomen accessit, uti saepe fit, particula indefinita. *Quam* autem et *piam* contentionem quandam et aut totius sententiae aut etiam singularis alicuius notionis quasi exaggerationem quandam continent. Itaque pronominis indefiniti notionem dilatant eique maiorem vim addunt; attamen duae formae, quae proprie eaedem fuerunt et plane idem significarunt, paullatim usu disiunctae sunt et sua utrique propria vis ac potestas attributa. Nam *quispiam* inprimis in enuntiationibus, quae mente finguntur, aut ex alia pendent animi cogitatione, usurpatur, additaque *piam* syllaba sententiam ad omnes, ad quoscunque possit, spectare et maioris copiae ac numeri rationem haberi declaratur. Quare non recte neque Heindorfius ad Horatii Satir. I, 4, 35. neque qui eum secutus est Matthiaeus ad Cic. Or. pro Rosc. Am. §. 33. contenderunt, *quispiam* idem esse, quod *aliquis*. Nam si Cicero Caecin. 10. *Utrum gravius*, inquit, *in quempiam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem nunquam vidisset, neque audisset, adductum pretio esse?* facile apparet, *aliquem* si isto in loco dixisset, certum quendam intelligendum fuisse, quum *quempiam* ex toto hominum numero, qui magnus esse potest, singularem quidem, sed quemcunque significet. Neque id, quod volunt isti, loco e Ciceronis libro de Orat. II. c. 9. petito efficitur. Ibi enim scriptum est: *Si de rebus rusticis agricola quispiam aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit aut scripserit: non idcirco artis illius putanda est eloquentia.* Agricolarum enim tanta fuit multitudo, ut ex his multi esse possent, qui de rebus rusticis diserte dicerent aut scriberent; pictorum contra, si cum agricolis comparantur, et Romae et ubivis tam exiguus erat numerus, ut eorum, qui de pingendo diserte dicere possent, multo certior et luculentior notio Ciceroni obversari posset. Neque Grysarium audiendum esse arbitror, qui in libro egregio supra laudato p. 108. *quispiam* ex *aliquispiam* contractum et correptum esse putat, et hanc formam plenam et absolutam, illam in brevius contractam et mutilatam vocat. Nam primum *aliquispiam* multo est rarius, deinde quae differentia in his verbis sit, facile perspicitur. Est enim eadem, quae inter *aliquis* et *quis* verba intercedit. Cic. Tusc. III, 9. *Num manus affecta recte est, cum in tumore est? aut num aliquodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet?* Nam *quodpiam* omnium membrorum rationem habet, *ali* indicat, ex his unum aliquod a ceteris ita animo separari, ut

illius dilucida ac perspicua notio menti obversetur. *Quisquam*, ubi sententia negans sit, usurpari constat; significat autem, id, quo de agatur, ne ulla quidem condicione nulloque modo fieri posse. Quare quam supra huic particulae inesse monuimus vim amplificandi et quasi exaggerandi, eam hic quoque deprehendimus, intendit enim vim negationis. Neque tamen non posse *quisquam* nisi in sententiis negantibus locum habere statuimus, idque quo minus credamus, plures loci impediunt, in quibus nisi ad argutias confugere velis, uti Grysarius fecit, non negandi, sed in universum intendendae sententiae vis inest. Terent. Eunuch. prolog. 1 — 3.

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, et minime multos laedere;
In his poëta hic nomen profitetur suum.

(Cf. Heindorf. ad Hor. Sat. l. l.)

Ad *quisquam* pronomen, si negatio antecessit, *unus* interdum additur, quo addito singularis rei notio negatur, generis autem, quod singulas res continet, notio opponitur; qui usus frequens est apud Livium. Cf. III, 55. *Haec omnia, ut invitis, ita non adversantibus patriciis transacta; quia nondum in quenquam unum saeviebatur.* XXVIII, 37. *Fundis ut nunc plurimum, ita tunc solo eo telo utebantur, nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte, quantum inter alios omnes Baleares excellunt.* II, 9. *Haec indulgentia patrum adeo concordem civitatem tenuit, ut regium nomen non summi magis, quam infimi horrerent, nec quisquam unus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum bene imperando universus Senatus fuit.* III, 45. *Adversus injuriam decreti quum multi magis fremerent, quam quisquam unus recusare auderet.* XXXII, 20.

d) *Quilibet* et *quivis* e *libere* et *velle*, verborum radicibus, et *qui* pronomine relativo constant. Utrumque enim pronomen proprie duo erant verba, non in unum coniuncta. Nam quae Cicero pro Rosc. Am. 3. habet: *Si aut caussa criminis, aut facti suspicio, aut quaelibet denique vel minima res reperietur*, ea possunt ita dissolvi: aut denique vel minima res reperietur, quae libet. Idem de Fin. III, 7. *Sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet*, i. e. non quo libet. Sed multo usu haec verba in unum coaluerunt, ut pro uno et haberentur et construerentur. Plin. Hist. nat. VII, 28. ad fin. *Bis ab Hannibale captus, neque enim cum quolibet hoste res fuit.* Simili modo *quivis* ab initio obliquis tantum in casibus usurpatum et angustioribus dicendi finibus circumscriptum fuisse arbitror. Cic. Verr. III, 18. *ut homines quidvis perpeti quam non de istius pravitate conqueri mallent*, i. e. quid vis. Plaut. Asin. III, 3, 81. *Quidvis egestas imperat*, i. e. quid vis. Id. Truc. IV, 4, 3. *Dicere*

hic quidvis licet. Interponitur etiam verbum Cato R. rust. c. 52. *Hoc modo quod genus vis propagabis.* At paullatim pro uno habitum est verbo, eoque ita usi sunt, ut eius constructionis, quam *velle* verbum exigit, plane immemores, in nominativo quoque *quivis* dicerent. Cic. pr. Quint. c. 27. *Omnia sunt ejusmodi, quivis ut perspicere possit.* Idem autem inter utrumque pronomen videtur esse discrimen, quod inter *velle* et *libere* verba intercedit; utroque enim pronomine sententia proponitur tam late patens, ut ad omnium voluntatem atque arbitrium possit accommodari. Quod distinctius etiam *unus* verbo addito indicatur. Cic. pro Caecin. c. 22. *Si tu solus aut quivis unus cum gladio impetum in me fecisses.* Id. in Brut. c. 93 *Quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens possit cognoscere.* Liv. IX, 17. ad fin. *Id vero erat periculum ne solertius, quam quilibet unus ex iis, quos nominavi, castris locum caperet.*

e) *Quicunque* pronominis et relativi et indefiniti habet significationem, sed de eo atque de *quisque* et de omni *que* particulae usu consultius visum est, separatim et copiose §. 27. disputare. De *quidam*, quod e pronomine indefinito et e *dam* syllaba oritur, paullo infra et §. 27. plura commemorata sunt. De pronominibus autem, quae in reciprocis posuimus, de *sui* et *ipse* §. 6., de *idem* §. 27. pluribus est actum. Quare quae ad hunc locum pertinent, illinc assumes.

5) Iam hunc de pronominibus demonstrativis, quaeque cum his cohaerent, pronominibus locum finire liceret, nisi et verbum *quidam* et tota nostrarum quaestionum ratio me admoneret, etiam deperditorum pronominum fragmenta quaedam colligere, iisque unum in locum collectis, quantumcunque in magna rei difficultate possumus, lucis aliquid affundere. Nam si *dum*, *dam*, et *dem*, quorum primum et cum aliis voculis componitur in *nedum*, *dummodo*, *dudum*, et separatim extat, alterum autem et tertium in *quidam*, *quidem*, *idem*, aliisque (cf. §. 27.) reperitur, inter se contendimus et cum particulis *tum*, *quum*, et *tam*, *quam*, *piam* comparamus, radicem pronominis demonstrativi quandam, a *d* littera incipientem, aliquando in usu fuisse, facile nobis persuademus. Quae quidem sententia iis, quae de ὁ δεῖνα voce §. 8. 3. disseruimus, admodum comprobari videtur. Nam cum in ceteris linguis cognatis *t* litteram etiam in *d* transisse sciamus, idem si in lingua latina accidit, mirari non possumus. Accedit etiam hoc, quod *dum* et pronominis relativi et indefiniti habet significationem, et ita, ut *quum* et *tum*, ad tempus refertur; *dam* autem, si cum *tam* et *quam* contuleris, gradum quendam significare et sententiae vim amplificare videtur; ad *quis* enim in *quidam* appositum, rem, quae mente sit ficta atque concepta, revera esse indicat. Eandem affirmandi vim illa

vocula etiam in *quidem* et *pridem* habet, in *idem* autem et *tantusdem* etc. notionem, quae nunc efferatur, iam antea esse enuntiatam, innuit. *Dam* enim et *dem* nihil differre arbitror. (Cf. §. 22. et §. 27.)

Aliud denique pronomen, quod aut demonstrandi aut certe affirmandi habet potestatem, cuiusque singula vestigia in *num*, *nam*, *nem* et *enim* cognosci posse arbitror, commemorandum est. *Num*, uti *dum*, *tam*, *cum*, ad tempus refertur; itaque proprie *hoc* aut *certo tempore* significat, idque interrogationi inservit et *num pater venit?* proprie videtur esse: *paterne venit hoc tempore?* Quod verbum ut a particula interrogativa, cuius naturam sensim plane induit, discerneretur, si tempus significandum erat, in *nunc* aut etiam *nunccine,* uti pro *tum tunc* est dictum. (Cf. §. 12. 1.) *Nam,* si cum *tam,* *quam,* *piam*, *dam* contendatur, affirmandi habere vim, facile intelligetur; pro *nam* etiam *nem* in *nempe* esse dictum, §. 27. planum fiet. *Enim* autem eodem e fonte ortum esse credo, cuius altera pars *nim* huius pronominis locativus mihi esse videtur, de quo plura §. 17. tradentur, *e* autem littera vocabuli potestatis augendae caussa addita videtur esse, uti in *equidem* (cf. §. 27.) factum puto, cuius rei exempla nonnulla §. 4. 3. attulimus. *Enim* non semper caussam et rationem reddit; sed saepe etiam vim affirmandi habet. Liv. XXIII, 45. *Romam vos expugnaturos iactabitis. Enim nunc minor est res.* Quare etiam *enimvero* dicitur.

§. 14.

DE GRAECORUM ET ROMANORUM PRONOMINIBUS ADIECTIVIS.

Alias linguas alium habere pronominum numerum, §. 2. est expositum; alia enim apud alios verba eam declinationem, quae pronominum propria est, sequuntur. In quibus sunt adiectiva quaedam, quae propterea pronominum naturam videntur imitata esse, quod eorum significatio tam ampla fuit et tam late patuit, ut multas notas, quibus res insigniebatur et cognoscebatur, complecteretur. Quae quidem vocabula, quoniam *pro* harum notarum et indiciorum *nomine* usurpabantur, pronomina et habita sunt et nuncupata. Itaque utrum verbum aliquod in pronominibus esset ponendum necne, id ex uniuscuiusque nominis declinatione veteres grammatici diiudicaverunt. Apud Graecos quidem ista declinationis diversitas, nisi in pronominibus personalibus, non magna est, et fere solo in nominativo singulari neutrius generis cernitur. Quare ab iis praeter ea pronomina, quae a pronominibus demonstrativis ducuntur, pauca vocabula in eorum numero habentur. Ego autem in eorum numero πᾶς ponendum esse arbitror, cum propter huius vocabuli significationem, tum quod ex eo eodem modo, quo e ceteri-
minibus, verba derivantur παντοῖος et παντοδαπός. (Cf. §. 16.) Etiam πάντη

pronominum declinatione congruit. (Cf. §. 18.) — Εἷς, quanquam eius notio ita est comparata, ut a nonnullis haec vox sit inter pronomina relata, tamen nihil habet, quo ad pronominum declinationem accedat. Nam ἕτερος non ex εἷς, sed ex Ἵ pronomine ortum esse credo. (§. 15.) Alia autem vox nativa, a qua derivata quaedam verba in lingua graeca sunt, non est hic praetereunda. Apud Indos enim *aekas*, *ā*, *am*, *unus*, *a*, *um* significat; ex eadem radice vocabula graeca ἑκάς, ἕκαθεν, ἑκάτερος et ἕκαστος profecta esse crediderim. Nimirum huius verbi significatio ita mutata est, ut, quae unitatis notione comprehendatur distinctionis et disiunctionis notio, ea apud Graecos primaria in hoc verbo fuisse videatur. Atque ἑκάς, ἕκαθεν *procul*, ἑκάτερος *unusquique de duobus*, isque seiunctus ab altero, ἕκαστος *unusquisque de pluribus*, isque seiunctus a ceteris, (cf. §. 15.) significant. Neque Graecos cum spiritu aspero, quem Indi non habent, hoc verbum scripsisse, mirandum est. Nam plures reperimus voces, in quibus Graeci spiritum asperum, quem linguae cognatae spiritum non habent, addiderunt. De ἵππος et ἴκκος, quod cum *açvas*, indica voce, et *equus* congruit, supra est dictum; confer praeterea εἵλω, εἰλέω, *volvo*, et ἕλιξ, ἑλίσσω; et εἷς cum gothico *dins* et *unus*. — Tertio loco ἄλλος vocem necesse est commemoremus, cuius neutrum ἄλλο, a Graecis hoc in pronominum numero esse habitum, satis testificatur. Ex ea voce ἀλλήλων, ἀλλήλοις etc. esse factum, cum per se pateat, tum Indorum lingua comprobatur. Nam ex *anjas* et *paras*, quae *alius* significant, illi *anjonja* et *paraspara* formaverunt, ac prima quidem horum verborum pars est nominativus masculini generis et pro omni numero usurpatur, altera tantummodo in casibus obliquis reperitur. Eodem modo ἀλλήλων esse compositum, Schlegelius in Bibliotheca Indica Tom. I. p. 353. monuit. Nam proprie ἄλλοι ἄλλων, ἄλλοι ἄλλοις, ἄλλοι ἄλλους iuxta sese sunt posita eaque paullatim in ἀλλάλων, ἀλλάλοις, ἀλλάλους coaluerunt. Uti enim οἱ ἀδελφοί in ἁδελφοί et τὸ ἀληθές in τἀληθές, ita haec verba, altero λ soni emolliendi caussa eiecto, in ἀλλήλων etc. contracta sunt; ᾱ autem apud Atticos in η transiit. Atque cur haec vox nominativo sit destituta, in aperto est; ille enim media in voce latet, eiusque forma contractione vocalium obscurata est.

Apud Romanos pronominum peculiaris est declinatio. In verbis, qui eam sequuntur, est *alius*. Eius duae formae sunt, *alius* et *alis*, quas flexura tantum, non significatione differre, e Lucretii I, 1108. intelligitur:

> Namque a l i d ex a l i o clarescet, nec tibi caeca
> Nox iter eripiet.

ibid. V, 1304.

> Sic a l i d ex a l i o peperit discordia tristis.

Ἄλλος et *alius* et *alis* ex una radice orta sunt; eodem *anjas*, indicum vocabulum, credo esse referendum, quamvis alia verba, in quibus *n* et *l* litterae sint commutatae, mihi non sunt in promtu. — Indi autem aliam praeterea vocem habent, quae diversitatem indicat: *paras*, *parā*, *param*, cuius ideo mentio est facienda, quod nonnulla sunt latina vocabula, quae, ubi ab eadem radice repetis, facilem habent explicatum. Quorum primum est *perendie*; id enim e duobus conflatum est vocabulis, *peren die*, i. e. *alio die*, (cf. §. 17.); alterum est *perperam*, i. e. *plane alio atque exspectabas modo*, (cf. §. 22.); tertium denique huius verbi vestigium in *peregre* sive *peregri* et *pereger* et *peregrinus* videtur latere. Nam *peregre* seu *peregri* est locativi forma et *in alio agro* significat, et *pereger* et *peregrinus* is est, qui *alio in agro* habitat, *externus*, *ἀλλοδαπός*. Fuerunt quidem, qui in *peregrinus per* praepositionem inesse putarent; eos vero errare, e *peragrare* apparet. Neque enim, *qui peragrat*, est *pereger* seu *peregrinus*, neque, qui per agrum venit, *peregre* venit; neque vero caussa apparet, cur in *peregrinus*, *peregre* et *pereger*, si haec verba eodem, atque *peragrare*, modo orta sunt, *a*, quod in per*a*grare est, in *e* mutatum sit. — Praeterea *unus* apud Latinos pronominis prae se fert speciem, et cum graeco *εἷς*, *ἕν* et gothico *áins*, *áina*, *áinata* sive *áin*, quod nos in *einer*, *eine*, *eines* transformavimus, cohaerere putatur. Quemadmodum autem e *vinum* vinulum, villum, e *manuluviae* malluviae, e *benus*, quod pro *bonus* antiquitus dicebatur, benulus, bellus: sic ex *unus* unulus, ullus est ortum. Quodsi *unus* aliquem, numeri ratione habita, ex cetero hominum rerumve ordine exemtum indicat, huius notionis vis per *unulus* sive *ullus* ita attenuatur, ut ad quemlibet, qui numerari possit, transferatur. — *Sōlus* autem qui est, is item, numeri ratione habita, ex cetero ordine eximitur, simul autem alium eiusdem generis adesse negatur. *Solus* enim, uti §. 12. 3. docuimus, est is, qui sine tertio quopiam, ergo seiunctus a cetero hominum commercio et rerum connexione est. — In *tōtus* denique, quod non cum *tŏtus* est commutandum, partium ratio habetur, omnesque partes esse coniunctas neque ullam deesse, declaratur.

§. 15.

DE PRONOMINUM NONNULLORUM GENERE QUODAM DUALI ET PLURALI.

In omni rerum natura plurimum refert, num qua res singularis sit, an cum duabus pluribusve coniuncta. Itaque et in nominum declinatione et in verb[illegible] gatione peculiares singularis, dualis et pluralis numeri formae natae sun[illegible] ratio effecit, ut de nonnullis quoque pronominibus formae quaedam de[illegible]

bus non unius, sed duorum pluriumve hominum vel rerum rationem haberi indicabatur. Quae quidem formae, communi quadam norma factae, quanquam in omnibus linguis, quas ad unam stirpem pertinere diximus, reperiuntur, tamen ex omnibus nullam nisi sanscritam cum graeca atque latina comparare placet. Nam apud Indos tantum harum formarum series ex omni parte absoluta est, apud ceteros vero populos manca plerumque, uti ex hac tabula intelligere licet:

Indica pronomina.

1) *aekas*, unus	*aekataras*, unus e duobus	*aekatamas*, unus e pluribus
2) *i*, is (§. 5. 1.)	*itaras*, is e duobus	—
3) *kas?* quis?	*kataras?* quis e duobus (uter)?	*katamas?* quis e pluribus?
4) *sas*, *sa*, *tat*, hic, haec, hoc	*tataras*, hic e duobus	*tatamas*, hic e pluribus
5) *jas*, *ja*, *jat*, qui, quae, quod (relat.)	*jataras*, qui e duobus (uter)	*jatamas*, qui e pluribus
6) *kaçtschid* etc. (indefinit.)	—	—
7) *anjas*, *a*, *at*, alius, a, ud	*anjataras*, alius e duobus (alter)	*anjatamas*, alius e pluribus

Graeca pronomina.

1) (εἷς)	ἑκάτερος, unusquisque e duobus	ἕκαστος, unusquisque e pluribus
2) *I*, is (cf. §. 5. 5.)	ἕτερος, is e duobus	—
3) τίς; *ΠΟΣ;*	πότερος;	πόστος;
4) ὁ, ἡ, τό	—	—
5) ὅς, *ʽΟΠΟΣ* (relativ.)	ὁπότερος	ὁπόστος
6) τις, *ΠΟΣ* (indefinit.)	ποτερός	(ποστός?)
7) ἄλλος	—	—

La-

Latina pronomina.

1) *unus*	—	—
2) *is*, *ea*, *id*	(*iterus a, um*) *iterum* id e duobus	—
3) *quis?*	*uter?*	—
4) *hic*, *haec*, *hoc*	—	—
5) *qui*, *quae*, *quod* (relat.)	*uter*	—
6) *quis*, *quae*, *quid* (indefinit.)	*uter*	—
7) *alius*, *a*, *ud*	*alter*	—

Quod in relicuis verbis, quae singularis, dualis et pluralis numeri formas habent, saepe fieri videmus, ut dualis numerus negligatur et paullatim plane abolescat, pluralis vero numeri formae summa fide et constantia in omnibus linguis teneantur et conserventur, id plane secus esse in illis pronominum formis, istae tabulae docent. Ex iis enim hoc primum apparet, plura graeca et omnia latina pronomina ea forma, quae plurium rationem habeat, esse destituta. Cuius rei caussam hanc esse statuo. Eae enim formae, quae ad unum hominem vel rem unam spectant, facile ita usurpari potuerunt, ut unum e pluribus significarent. Nam si quaerimus: *quis fecit?* quanquam proprie nihil nisi de uno illo, qui fecerit, nos sciscitari declaramus, vix tamen possumus, quin simul innuamus, nos de uno ex pluribus quaerere. E duobus autem quis fecerit, si quaerimus, hoc quia voce simplice *quis* significari nequit, singulari quodam vocabulo id exprimamus necesse est. Itaque numeri dualis forma, quae magis esset necessaria, cuiusque loco neque numeri singularis neque pluralis forma usurpari posset, tradita est ab antiquis et in plerisque linguis servata, pluralis vero numeri formae, pro quibus singularis etiam numeri formae usurpari poterant, in pluribus linguis paullatim interciderunt.

Deinceps de ipsis formis est dicendum. Eae sunt in *lingua sanscrita* numeri dualis *taras*, *ā*, *am*, pluralis *tamas*, *ā*, *am*. Iisdem Indi in adiectivorum comparativo et superlativo gradu utuntur, quanquam in declinatione est aliqua discrepantia. Adiectiva enim comparativa et superlativa usitatam nominum declinationem habent; eaedem autem formae cum pronominibus copulatae nonnullis in casibus pronominum declinationem sequuntur. — In *graecis* huius generis pronominibus eaedem comparativi et superlativi gradus formae apparent. Nam *τερος* est comparativi forma, (cf. *ἑκάτερος, πότερος* et *πονηρότερος*, *λεπτότερος*), *στος* superlativi, rarior illa quidem quam *τατος*, verumtamen mul-

tis in adiectivis usitata, (cf. ἕκαστος, πόστος et αἴσχιστος, λῷστος, βέλτιστος). — Apud Romanos denique pronominum quidem, quibus plurium rationem haberi indicatur, nullae extant formae; sed comparativi in *terus* exeuntis formas in *uter*, *neuter*, *alter* et *iterum* servatas esse, ita constat, ut nemo contradicere possit. Nam *uter* et *alter* pro *uterus* et *alterus*, veluti *puer*, *prosper*, *dexter* pro antiquioribus *puerus*, *prosperus*, *dexterus*, dicta esse, nemo infitiabitur. In adiectivorum vero comparativo *terus* in *ior* mutatum est. Hic autem in his formis latinae indicaeque linguae consensus est, quod apud Romanos quoque *uter* et *alter* pronominum declinationem sequuntur. At quaenam fuit caussa, quaeret quispiam, cur ad hoc pronominum genus comparativi et superlativi gradus formas adhiberent? Scilicet quod in comparativo quoque duarum, in superlativo plurium rerum ratio habetur, ita ut plurimum inter haec pronomina et nomina comparativa et superlativa similitudinis intercedat.

Iam ad singulas formas explicandas transgredi licet. Ἑκάτερος et ἕκαστος ex eadem radice, e qua indicum *aekataras* et *aekatamas* venerint, orta esse vides, praesertim, si quae §. 14. de hoc verbo disseruimus, contuleris. Graecis enim, quum duo, quibus *unus* significarent, haberent verba, altero in singulari forma, altero, ubi duorum pluriumve ratio haberetur, uti placuit. Nam ἑκάτερος est *unusquisque e duobus, alter et alter*, interdum etiam *alteruter*, ἕκαστος *unusquisque e pluribus*. Cf. Thucyd. I, 1. καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ὁρῶν ξυνιστάμενον πρὸς ἑκατέρους. Ibid. c. 22. οἱ παρόντες τοῖς ἔργοις ἑκάστοις οὐ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἑκατέρῳ τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι. Aristot. Ethic. VI. c. 1. §. 7. ed. Cardvell. ληπτέον ἑκατέρου τούτων τίς ἡ βελτίστη ἕξις.

Ἕτερος ex εἷς quis coniiciat esse ortum. Nam ν littera facile intercidere potuit, quemadmodum in ἑκατόν factum est, quod ex εἷς et κατον, i. e. unum centum, *ein Hundert*, esse profectum, primus Schlegelius in Bibliotheca Indica docuit. At si verbi significationem intuemur et ponderamus, non possumus, quin hoc e demonstrativo pronomine fluxisse statuamus, est enim *hic e duobus*; eiusque radicem arbitror esse Ἱ pronomen demonstrativum, de quo §. 5. 5. est dictum. Confirmatur hoc dorica forma ἅτερος, quae facile ex Ἱ oriri potuit. Cf. §. 5. 4. et 5.

Πόστος et ὁπόστος *quis e pluribus*, sive *multis*, vel *quotus* significat. Cf. Hom. Odyss. XXIV, 288.

ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον,
πόστον δὴ ἔτος ἐστίν, ὅτε ξείνισσας ἐκεῖνον.

cui respondetur v. 308.

Ὀδυσσῆϊ τόδε δὴ πέμπτον ἔτος ἐστίν,
ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβη καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθε πάτρης.

Xenoph. Cyrop. IV, 1, 16. *κατανόησον, ποστῷ αὐτῶν μέρει πάντες μαχεσάμενοι νενικήκαμε* Aristot. Polit. II, 2. *ὁπόστος τὸν ἀριθμὸν τυγχάνοι ὤν.* Demosth. pro Cor. p. 328. l. 2 ed. Reisk. *ἐν οἷς οὐδαμοῦ σὺ φανήσῃ γεγονὼς οὐ πρῶτος, οὐ δεύτερος, οὐ τρίτος, οὐ τέταρ τος, οὐ πέμπτος, οὐχ ἕκτος, οὐχ ὁποστοσοῦν.* Indefinitum *ποστός*, quanquam in us fuisse verisimile est, testimoniis tamen comprobare nequeo. Etiam de indefinito *ποτε ρός* aliquandiu dubitatum est, sed confirmatum est illud ab Heindorfio ad Plat. Charm p. 171. B. Phot. Lexic. p. 329.

Apud Romanos pronomina pluralia desunt. Ad dualem numerum *alter* pertinet quod ex *aliterus* est contractum. *Iterum* est proprie *id e duobus*, idque proprie tum dic apparet, si de duabus actionibus est sermo. Cic. pro Domo 52. *audierat, se a me bi salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis.* In universum autem in actione repetita usurpatur, ita tamen, ut semper secundam portionem secundumve locum indicet. Cic. de Invent. c. 39. sub fin. *Primo quidem decipi, incommodum est, iterum stultum, tertio turpe.* Pro Rosc. Amer. c. 22. *iterum ac tertio nominavi.* Liv. III, 19. *seditiosi homines iterum atque tertio Tribuni.* Ex eadem forma *ceterus, a, um,* quod in libris manuscriptis et in lapidibus etiam *caeterus* scribitur, profectum mihi videtur esse. Alii quidem hoc ex *ἕτερος*, alii ex *καὶ ἕτερος* derivant. At enimvero, quae inter ipsos Romanos nata sunt, ea non credendum est a Graecis venisse; nimis multa enim Romani ab aliis populis mutuati esse feruntur, quae suopte ingenio atque arbitratu finxerunt. Itaque mittamus ista, et videamus, e quo latino verbo *ceterus* sive *caeterus* sit factum. Dictum hoc equidem puto pro *coiterus.* Notum est enim, *cum* praepositionem, si cum verbis, quae a vocali incipiunt, componatur, plerumque *co* sonare, ut *cohortari, coacervare, coire, coaequare, coarctare, coarguere,* nonnunquam etiam cum insequenti vocali coalescere, in *cogere* pro *coagere, cogitare* pro *coagitare, coetus* pro *coitus.* Eodem modo *coena,* quod antiquitus *coesna* dictum esse constat, e *co* praepositione et *esna* voce, quam ex *edere* sive *esere* ita ortam esse putandum est, uti e *lucere lucna, losna* (cf. Lanzi Saggio di lingua etrusca I. p. 161.) sive *luna* venerit, contractum est. Hoc autem verbum et *coena,* et *caena,* et *cena* apud veteres scriptum est; nostro tempore plerumque in scribendo praefertur *coena*, quoniam hoc e *θοίνη* profectum esse perperam credunt, sed *cena* plerique lapides habent, *caena* Festus probare videtur. Quodsi in voce *coena*, quam antiquissimam scripturam fuisse videmus, *oe* in *ae* et *e* transisse scimus, et si *oi* et *oe*, quae fere paria sunt, aliis etiam in verbis in *ae* et *e* mutata esse compertum habemus, (cf. Schneider Elementarlehre der lat. Sprache Tom. I. p. 77.) apparet, etiam *caeterus* et *ceterus* e *coiterus* oriri potuisse. Atque haec verbi originatio significatione egregie commendatur. Nam *caeterus* sive *caeteri* usur-

patur, si de duabus partibus agitur, quarum altera iam exposita est et enarrata, ii vero, qui in altera sunt parte, *coniuncti* comprehenduntur, neque singuli, sed in unum quasi cumulum congregati intelliguntur.

Uter et relativi et interrogativi pronominis habere vim, multi auctorum loci comprobant. Indefinitum pronomen est in *alteruter*; namque uti *quis* indefinito praeponitur *ali*, ita ut *aliquis* oriatur: sic dualia componuntur pronomina, id est, aliquis e duobus. Nonnunquam etiam simplex *uter* indefiniti pronominis habet significationem: v. c. apud Ciceronem Verr. III, 14. *Omnium controversiarum, quae essent inter aratorem ac decumanum, si uter velit, edicit, se recuperatores daturum.* Et paullo post: *Utrum ita scripserit, si ita volet.*

Denique de huius vocis origine est dicendum. Quod si indicum *jataras*, graecum *πότερος* aliasque linguas comparamus, non possumus, quin e *quis* sive *qui* pronomine *uter* esse derivandum statuamus. Sed ex hac voce quum *cuterus* sive *cuter* proficisci debeat, quumque plures particulae, quae et relativam et indefinitam et interrogativam habent vim, ab *u* incipiant, *uti, unde, ubi, usque*; fuerunt, qui ab obsoleta aliqua voce *us* haec vocabula originem ducere crederent. At quum neque hoc vocabulum inveniatur usquam, neque ea radix argumentis, e linguarum comparatione petitis, comprobari possit, equidem talem radicem omnino unquam extitisse nego. Multa enim sunt indicia, quae has particulas a pronomine relativo esse derivandas nobis persuadent. Nam primum in omnibus linguis cognatis huius generis particulae e pronominibus, quae communi demonstrativorum nomine nuncupavimus, ortae sunt. Deinde, quemadmodum *iti* (in *itidem*), *ibi, inde* e pronomine *is* fluxerunt: sic *uti* et *ubi* et *unde* particulas, quae omnem *qui* pronominis significationem habent, e *qui* ortas esse earumque proprias formas *cuti, cubi, cunde* fuisse, veri est simillimum. Maximi autem ea in re id est momenti, quod antiquae istae formae in compositis pronominibus etiamnunc extant; reperimus enim *sicubi, alicubi, alicunde, sicunde*, pro *ne quo in loco, necubi*, et pro *ne quo ex loco, necunde.* Eadem *c* littera in verbo *secus* apparet, quod e *se* praepositione et *cus* adverbio pronominali (cf. infra §. 25.) compositum est. His ego rebus adducor, ut etiam *uter* e *qui* ortum, idque pro antiquiore forma *cuter* dictum esse statuam, cuius quae prima fuerit *c* littera, uti in litteris gutturalibus nonnunquam fieri assolet, primum attenuata, deinde omissa sit.

§. 16.

DE PRONOMINIBUS GRAECORUM ET ROMANORUM CORRELATIVIS.

1) Omnium rerum et numerus et magnitudo et aetas aliaeque huiuscemodi generis notae ita sunt propriae, ut eae certa sint et perpetua earum indicia. Harum quidem

notionum apud alios populos aliae ita cum pronominibus coaluerunt, ut, quae ex hac compositione procreata sunt verba, quoniam simul pronominum significationem retineant, ea ab omnibus grammaticis inter pronomina sint relata. Atque Graeci quidem haec huius generis pronomina habent.

	magnitudo	parvitas	proprietas	aetas	patria	possessio
demonstrativum *ΤΟΣ*	τόσος	τύννος	τοῖος	τηλίκος		
relativum *ΟΣ*	ὅσος		οἷος	ἡλίκος		
indefinitum *ΠΟΣ*	ποσός		ποιός	πηλίκος		
interrogativum *ΠΟΣ* in enuntiatione libera	πόσος;		ποῖος;	πηλίκος;	ποδαπός;	
interrogativum *ΟΠΟΣ* in enuntiatione ligata	ὁπόσος et ὅσος		ὁποῖος et οἷος	ὁπηλίκος et ἡλίκος	ὁποδαπός	
Pronomina adiectiva	ἄλλος ἕτερος πᾶς		ἀλλοῖος ἑτεροῖος παντοῖος		ἀλλοδαπός παντοδαπός	
Pronomen primae personae					ἡμεδαπός	ἐμός νωΐτερος ἡμέτερος, ἡμός
Pronomen secundae personae					ὑμεδαπός	σός σφωΐτερος ὑμέτερος, ὑμός
Pronomen reflexivum						ὅς σφωΐτερος σφέτ[illegible]

In Romanorum autem lingua haec sunt pronomina correlativa:

	magnitudo	parvitas	numerus	portio	proprietas	possessio	patria
demonstrativum hic	tantus	tantulus, tantillus	tot	tŏtus	talis	—	—
relativum qui	quantus	quantulus quantillus	quot	quotus	qualis	—	—
indefinitum quis, qui	quantus, aliquantus		quot, aliquot	quotus, (quotidie)			
interrogativum in enuntiatione libera quis? qui?	quantus?	quantulus? quantillus?	quot?	quotus?	qualis?	cuius?	cuias?
interrogativum in enuntiatione ligata quis, qui	quantus		quot	quotus	qualis		
Pronomina adiectiva							
Pronomen primae personae						meus noster	nostras
Pronomen secundae personae						tuus vester	vestras
Pronomen reflexivum						suus	

2) Iam ex his pronominibus correlativis in uno conspectu positis primum hoc apparet, neque Graecos neque Romanos omnes quas potuerint, formas finxisse. Neque id mirandum est. Nam quarum notionum usus rarus erat, eae facile potuerunt intercidere. Quod tetigit iam Laurentius Valla Elegantiarum libro II. cap. 3., ubi haec habet: *Mirum vero, cur homines Romani, cum* n o s t r a s *et* v e s t r a s *dicerent, non etiam*

finxerint suas. *Uti si dicas*, Romani captivos suates Annibali tradendos censuerunt. *Simplicissime, puto, et verissime dicemus, id propterea omissum, quod saepe exigeret usus voces* nostras, vestras; *multo autem rarissime opus esset vocabulo* suas. Omnino autem, in quantum horum pronominum numerus augeri possit, definiri nequit, quoniam alias alii populi notiones cum pronominibus iunxerunt et copulaverunt. Nam Indi, ut in eorum comparatione nobis constemus, cum multa alia ipsis propria, tum etiam multo plura habent pronomina possessiva quam Graeci et Romani, *tadijas* enim dicunt *huius proprius* et *sarvijas omnium proprius*. Praeterea etiam plane novo utuntur pronominum ordine, quod similitudinis notionem cum pronomine coniunxerunt, et e *driç videre kidriças cui similis? tadriças huic similis*, etc. fecerunt.

3) Atque, ut ad singula perveniamus, apud Graecos quanta inter haec atque simplicia demonstrativa intercedat similitudo, inde potissimum intelligitur, quod haec demonstrativa eodem modo, quo simplicia, syllabarum accessione augentur. Nam uti pro ὁ dicitur *ὅδε, οὗτος, ὁδί, οὑτοσί*: ita etiam *τοσόςδε* et *τοσοῦτος, τοιουτονί* ceteraque eodem modo dicuntur, e *τύννος* autem tantum *τυννοῦτος* et *τυννουτοσί*, non *τυννόςδε* fit.

4) *Τοῖος*, quocum in latina lingua componi possit, non habet; *ιος* syllaba ad pronominis radicem addita ita est ortum, ut ex *ἀγορά ἀγοραῖος*, e *θέρος θέρειος*, ex *ὁμός ὁμοῖος*. Eodem modo *ἀλλοῖος, ἑτεροῖος, παντοῖος* facta sunt; *ἀλλοῖος* autem et *ἑτεροῖος* ita differunt, ut *ἑτεροῖος* proprie duarum rerum diversitatem indicet.

5) Inter *τόσος* et *totus* significationis discrimen est. Nam *tŏtus* et *quotus* portionem significant. Cf. Manil. III, 447.

Detrahitur summae tŏta pars, quota sumitur inde.

Graecae vero voces *τόσος, πόσος* etc. maiorem minoremve loci vel temporis circumscriptionem atque ita et copiam abundantiamque et parvitatem exprimunt. Peculiare etiam verbum est, quo, qui *tam parvus* dicere volunt, utuntur, *τύννος*; hoc quoque e pronomine demonstrativo ortum et cum *τυτθός* cognatum esse, credibile est.

6) *Τόσος, ὅσος* etc. et *tot, quot, totus, quotus*. Cum his verbis etiam indicae voces *jāvat quotus, tāvat* et *etāvat tŏtus* comparari possunt; nam in his quoque *t* littera inest. In universum autem commemorandum est, in compluribus vocabulis, quibus sive numerus sive mensura indicatur, apud Indos *tas*, apud Graecos *τος*, apud Latinos *tus*, inprimis in numeris, qui ordinales vocantur, in usu fuisse. Cf. indica *tschaturthas quartus, schaschtas sextus*; graeca *τρίτος, τέταρτος, πέμπτος, ἕκτος*; latina *tertius, quartus, quintus, sextus*. Eandem syllabam propter hanc significationem *quam* et *tam* additam esse, infra videbimus. Quare credibile est, graecas etiam

antiquitus *τότος*, *ὅτος* etc. sonasse. Hoc in loco etiam voces *quotannis* et *quotidie* sunt interpretandae. *Quotidie* casus est locativus uti *postridie*, *crastinidie* (cf. §. 17.); *quoti* autem pronomen indefinitum idque lingua vernacula efferendum est: *am irgendwievielsten Tage*, i. e. *die, quotumcunque finxeris esse*, i. e. *unoquoque die*. *Quotannis* quoque, quod in antiquis exemplaribus et in marmoribus et tabulis aereis plurimum *quot annis* scriptum est, quum *quot* pronomen sit indefinitum, explicandum est: *annis quotcunque finxeris esse*, i. e. *unoquoque anno*. Itaque *quot mensibus* dicitur. Cato R. r. c. 43. *Circum capita oleagina quot mensibus fodere oportet*; et *quot calendis* apud Plaut. Stich. 1, 2, 3.

Vos meministis, quot calendis petere demensum cibum.

Quapropter Quintilianus I, 7. ab initio *quotidie* per *quot diebus* explicat. Utrumque enim in usu erat. Cf. Ulpian. lib. 36. tit. 2. leg. 12. *Pomponius scribit, nihil interesse, utrum in annos singulos vel quotannis, an in singulos menses vel quot mensibus, an in singulos dies vel quot diebus legatur.*

7) Magnitudinem et parvitatem Romani vocibus *tantus* et *quantus* exprimunt; sola parvitatis significatio in *tantulus*, *quantulus*, *tantillus*, *quantillus* inest. *Tantus* et *quantus* ex *tam* et *quam* particulis orta sunt. Quae particulae quum exaggerationis notionem contineant, (cf. §. 22.) eandem notionem in *tantus* et *quantus* esse sequitur. Hanc horum vocabulorum esse originem, etiam veteres grammatici crediderunt. Cf. Cornut. apud Cassiodor. p. 2285. *tamtus et quamtus in medio m habere debent; quam enim et tam est, unde quamtitas, quamtus, tamtus, nec quosdam moveat, si m non sonat; iam enim supra docui, sonare non debere, tametsi in scriptura m posita sit.* Eadem fere e Caesellio Cassiodorus p. 2314. sub fin. Isidor. Origg. 1, 26. post med. *Tantulus, quantulus* et *tantillus, quantillus* usitatae nominum deminutivorum sunt formae.

8) *Ἡλίκος*, *τηλίκος* etc. et *qualis* et *talis* eodem modo nata esse arbitror. Quod quo melius intelligi possit, indicam et germanicam linguam in auxilium vocare iuvat. Atque in lingua quidem indica *tadriças huic similis, jadriças cui similis, kidriças cuinam similis?* aliaque id genus reperiri, iam supra est expositum. Quae verba cum e pronominum radicibus et verbo *driç, videre,* composita esse certo constet, id non erit mirandum, si aliis quoque in linguis eandem vocabulorum formandorum rationem reperiri putamus. Atque ita est in lingua gothica. Nam *hvéleiks*, pro quo posteri deinceps *huëlîhhêr, huilik* et *welcher* formaverunt, ex *huë* adverbio pronominali atque e *leikjan* verbo, i. e. *videre, similem esse,* compositum est. Eiusdem verbi *leikjan* radix in multis adiectivis comparet: *glücklich, thunlich, bürgerlich, ähnlich* etc. Quibuscum si *ἡλίκος, πηλίκος, τηλίκος, ὁπηλίκος* comparamus, haec quoque ex *ἧ, πη, τη, ὁπη* adverbiis pronominalibus et ex illa verbi radice, quam apud Germanos in eundem usum

esse

esse conversam videbamus, composita esse, facile nobis persuademus. Ἡλίκος igitur proprie *cui similis* significat, et plerumque ad magnitudinem, interdum etiam ad parvitatem, inprimis vero ad corporis staturam refertur. Quare fit, ut saepe de aetate dicatur atque ἡλικία, quo proprie *qualitas* intelligitur, nonnisi de vita atque aetate usurpetur. Hinc derivarunt ἡλικιώτης, aliudque etiam verbum ἧλιξ, quod significat: *qui aliqua aetate est, potissimum florente.* Cf. Hom. Odyss. XVIII, 372.

βόες
αἴθωνες, μεγάλοι, ἄμφω κεκορηότε ποίης,
ἥλικες, ἰσοφόροι.

Postera demum aetate ἧλιξ eandem, quam ὁμῆλιξ, videtur significationem accepisse.

Talis autem et *qualis* eodem modo orta videntur esse. *Qua* adverbium adhuc in usu est, *ta* antiquior forma mutata est in *hac*, (cf. infra §. 18.) *lis* autem, quin ad eandem radicem *leik* sive *lik* pertineat, a qua ἡλίκος et *hueleiks* venisse probavimus, non est, quod dubitemus. Nam apud Latinos quoque hoc verbum in quibusdam tantum compositionibus mansisse, ceterum autem interisse videtur, nisi forte in *liquet*, i. e. *videtur, perspicuum est*, eius vestigium reperiri dicamus. Eius vero in compositionibus propria fuit forma sive *lix* sive *licus*, quarum altera haud scio an in *felix*, quod est e radice *FEO*, unde ef*fetus*, *fecundus*, *femina* orta sunt, servata sit, altera in *famelicus*; sed *c* gutturali littera elisa, *lis* syllaba nata esse videtur, quam omnis generis verbis affixam innumera vocabula constat procreasse, cuius generis sunt *facilis, civilis, similis, humilis, fragilis, gracilis, regalis, aequalis.* Itaque *talis* et *qualis* vocabula, quae eandem originem habere arbitror, antiquitus *huic similis, cui similis* significarunt, deinde vero sensim ad omnes rerum notas significandas adhibita sunt.

9) Aliis pronominibus possessio indicatur. Indi tres, Graeci duas pronominum possessivorum habent formas. Nam in lingua graeca aut ος, η, ον ad verbi radicem additur idque in numero singulari et plurali reperitur: ἐμός, σός, ἡμός, ὑμός, σφός, ἑός, ὅς, aut τερος sive ετερος, quod dualis et pluralis numeri radici affigitur: νωΐτερος, σφωΐτερος, ἡμέτερος, ὑμέτερος, σφέτερος. Neque mirum esset, si plures etiam formae ad pronomina possessiva fingenda essent excogitatae, quoniam vix quidquam magis hominum animos advertit, quam cuius res quaeque mancipium sit, eaque notio in omni sermonis gener[e] frequentatur. Neque tamen Graeci ex ceteris pronominibus possessiva finxer[unt] ita factum esse puto, quod pro possessivis saepissime ipsorum pronominum g[enitivos ad]hibuerunt. Nam quantopere pronomina possessiva cum genitivi [...]

gruant, id cum §. 4. 8. docuerimus, tum ex ea re apparet, quod, si nomen aliquod ad pronomen possessivum additur, id in genitivo ponitur. Hom. Il. χ'. 180.

δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος.

Latini item duplices et easdem, quas Graeci pronominis possessivi formas habent. Nam aut *us*, *a*, *um* singularis numeri radici in *meus*, *tuus*, *suus*, *cuius*, aut pluralis numeri radici *ter*, sive *terus*, *tera*, *terum* in *noster*, *vester* affigitur. Differt autem lingua latina in ea re a graeca, quod pronominis possessivi multo apud Latinos frequentior usus est, multoque rarius genitivus pronominum locum habet.

10) Restant denique pronomina, quae hominis patriam significant. Haec in ceteris, quantum equidem scio, linguis desunt, apud Graecos quidem e pluribus pronominibus derivantur, apud Romanos vero tantum *nostras* et *vestras* et *cuias* in usu sunt, atque *vestras* quidem tam est rarum, ut id aliquando in usu fuisse tantum e grammaticorum testimoniis cognoscatur. Isti enim referunt, *as* sive *atis* syllaba patriam significari, ita ex Arpinum fieri Arpinas, e Sarsinum Sarsinas. Caussam autem, cur pronominum personalium tantum pluralis numerus sit ad ista pronomina formanda adhibitus, docuit Priscianus XVII. §. 142.: *Quaeritur, cur nostrás et vestrás a solis pluralibus tam apud nos, quam apud Graecos ἡμεδαπός* et *ὑμεδαπός derivantur? Ad quod dicendum, quod ideo a solis pluralibus fiunt, quia patria ad plures pertinet, non ad unum.* De *suas* supra Nr. 2. dictum est. Dicendum denique de graecae formae origine. Atque iam antiquitus fuerunt, qui *ποδαπός*, *ἡμεδαπός*, *ὑμεδαπός*, *ἀλλοδαπός* aut e voce *δάπεδον* aut ex *ἔδαφος* derivarent, id quod multis argumentis refellere conatur Apollonius Dyscolus de Pronomine p. 298. seqq., ubi haec dicit: *Ἐβαρύνετο ἂν ὁμοίως τοῖς τὸ δ φυλάξασιν ἄστεφος, εὔτειχος, δύςριγος, εἰ παρὰ τὸ ἔδαφος· εἰ δὲ παρὰ τὸ δάπεδον ὁμοίως τῷ εὔτεκνος, εὐπρόςωπος. ἀλλ' εἰ καὶ τὰ τοῦ τόνου παραπεμπτέα — —, τὰ τοῦ γένους ἀντέκειτο· κοινὰ γὰρ θέλει εἶναι ὁμοίως τοῖς συνθέτοις. πρὸς οἷς καὶ τὰ τῆς γραφῆς ἀντέκειτο· ἐχρῆν γὰρ ἢ ἡμεδαπεδός διὰ τοῦ δ— ἢ ἡμεδαφός διὰ τοῦ φ—.* Itaque ille *δαπος* non de nomine aliquo derivatum, sed ita, ut *οἷος*, affixum esse statuit. Valckenarius aliam iniit viam. Hic enim, quoniam pro *ποδαπός* etiam *ποταπός* exstet, a *ΔΑΠΟΣ ΤΑΠΟΣ*, vocibus, cum *ἔδαφος* et *δάπεδον* et *τάπης* et *τόπος*, tum ea pronomina, de quibus agimus, venisse arbitratur. Sed *ποταπός* ad originem verbi indagandam prorsus nihil facit. Nam *ποταπός* apud recentiores tantum reperitur, apud Philonem, Iosephum, Dionysium Halicarnassensem, Sextum Empiricum, Diogenem Laertium, veteribus autem plane ignotum est. Quapropter *τ* littera scripturae vitium videtur esse, quod paullatim increbuit. Itaque de ea re hoc est iudicandum. Quum *ποδαπός*, quod apud

veteres semper ad patriam referebatur, iam ante graecae libertatis interitum a genuina significatione deflecteret et pro ποῖος usurparetur, factum est, ut grammatici, quamvis nonnunquam ποταπός improbarent, tamen ποδαπός de genere et patria, ποταπός de moribus dici monerent. (Cf. Lobeckium ad Phryn. p. 56.) Quare, num *ΔΑΠΟΣ* cum τόπος cohaereat, plane incertum est. Plane autem improbanda videntur esse, quae Buttmannus in Lexilog. tomi I. p. 126. de horum vocabulorum notatione proposuit. Is enim ἀπό praepositionem ad pronomina additam et δ litteram hiatus vitandi gratia insertam esse credit, et ἀλλοδαπός ex ἄλλου ἄπο, inserta δ littera, ἡμεδαπός ex ἡμῶν s. ἡμετέρου ἄπο factum esse arbitratur. Sed haec Buttmanni sententia hac una re concidit, quod *d* paragogicum, quod vocant, apud Graecos non reperitur. Quare satius esse duco, ingenue fateri, me, quae sit horum verborum origo, ignorare, quam simili modo errare. Hoc unum constare mihi videtur, δάπος e vocabulo aliquo, quod sive locum, sive patriam, sive gentem significet, esse ortum; nam ex eo factum est ἐνδάπιος, quod ex illo δάπος ita, ut ex τόπος ἐντόπιος, ἐκτόπιος, natum esse puto.

§. 17.

DE PRONOMINUM CASU LOCATIVO.

1) In plerisque linguis, quae ad communem linguae sanscritae originem sunt referendae, pronominum declinatio a ceteris nominibus differt. Quaeritur autem, utrum iam antiquissimis linguarum temporibus pronominum propria fuerit haec declinatio, an omnia nomina ultima harum linguarum memoria secundum eandem normam sint declinata. In qua quaestione pronomina cum antiquissima esse vocabula animadvertendum est, tum multo usu trita et frequentata. Omnia autem verba, quae multum in ore hominum versantur, multimodis mutantur. Nam aliae litterae eiiciuntur, aliae adduntur, et vox modo corripitur, modo dilatatur. Contra vero etiam hoc fit, ut eae voces, quarum usus vel antiquissimis temporibus frequentatus et quasi stabilitus est, immutatae maneant et summae vetustatis usque retineant vestigia. Atque ita in pronominibus accidit. Partim enim eorum formae multo usu mutilatae sunt et corruptae, partim vetus declinatio summa fide ac religione servata est. Itaque si singulas accuratius investigamus et comparamus formas, quomodo acciderit, ut in singulis casibus pronomina aliter atque cetera nomina declinarentur, facile plerumque potest intelligi. Neque tamen huius est loci, omnem nominum declinationem exponere; eius idcirco tantum mentionem iniicimus, ut, quae pronominum singularis videatur esse casuum flexio, eam ex eodem fonte, e quo ceterorum nominum casus fluxerint, et e communi omnium nominum declinatione derivandam esse ostendamus. Neque vero, quae propria singulorum casuum fuerit

significatio, nunc quidem explicabimus, quae res, quanquam iam a multis tractata, a nemine tamen adhuc confecta est et absoluta. Omnis enim nostra disputatio magis in singulorum nominum notione et definitione cognoscenda eorumque origine indaganda versatur, quam ut, quomodo verba inter se sint componenda et construenda, quasque leges in ea re Graeci et Romani secuti sint, docere velimus. Hoc unum, quot casus prisca illa lingua, quae ceterarum quasi mater ac procreatrix est habenda, possederit, paucis exponemus. Fuerunt autem multi, qui quot ad nomen construendum omnino necessariae casuum essent formae apud se reputantes, tot neque plures antiquitus in usu fuisse existimarent; has enim primas putabant ab ipsa mente humana, cui certae rerum species ac formae a natura insitae atque innatae essent, quasi monstratas esse et suapte vi procreatas, et sicubi plures casus, quam essent necessarii, reperirentur, eas e variis eiusdem casus formis esse coortas. Quae multis quidem vera visa sunt. Sed si animum ad illa tempora advertimus, quibus mens humana primum imagines sensibus perceptas animoque informatas voce et sono exprimere conabatur, apparet, difficile fuisse, varios rerum modos earumque species ita animo comprehendere, ut omnes paucissimis et necessariis tantummodo formis continerentur. Itaque quae notiones, si ad amussim res examinatur, uno casu recte possunt comprehendi, eae ab initio in duos tresve casus divisae sunt, ut plures existerent casus, quam ratio et necessitas exigit. Ac novissimis temporibus, reclusis plurium et veterum et recentiorum linguarum penetralibus earumque origine et progressione perspecta, in omnibus, quae cum lingua sanscrita communi cognationis vinculo cohaerent, praeter vocativum septem fuisse casus cognitum est, *nominativum*, *genitivum*, *dativum*, *accusativum*, *ablativum*, *locativum* et *instrumentalem*. Verumtamen quum homines, quorum mens et ratio magis acuebatur et excolebatur, tot casus, quot vetustas primo quasi impetu procreaverat, neque necessarios esse et propter vim eorum vagam et incertam perspicuitati magis officere quam prodesse intelligerent, non potuit fieri, quin casuum numerus minueretur. Quanquam hoc non in omnibus linguis factum est. Fuerunt enim nonnulli quidem populi antiquitatis adeo tenaces, ut multa in linguis a maioribus per hereditatem accepta tanquam sacra gentilicia tuerentur. Ac Romani quidem quinque tantum casus retinuerunt; Graeci autem, quorum mens sollertior esset et alacrior, omnes rerum species in paucissimas, quas potuerunt, redegerunt formas, et tot, quot ratio exigit casus, neque plures servarunt. Sed quoniam Graeci et Romani olim ceteros quoque casus habuerunt, horum casuum quasi fragmenta quaedam adhuc supersunt; eae autem reliquiae in pronominibus potissimum reperiuntur, in quibus multas veteres formas superesse supra commemoravimus. Itaque quum de pronominum declinatione agere in animo sit, primum de iis casibus expone-

mus; qui in deperditis sunt habendi, tum de ceteris pauca, quae ad rem pertinent, addemus.

2). In his autem rebus item ad Indorum linguam animus recurrit, qui casuum et formas et numerum maxima fide servarunt; id quod primum in quaestione de casus locativi natura et forma planum fiet. Atque illud primum est perspicuum, hominis naturae admodum conveniens et consentaneum fuisse, singularem formam procreare, qua aliquid in re aliquapiam inesse declaretur. Quid enim toties est commemorandum, quam quo in loco quid versetur et accidat? Atque apud Indos *locativus* masculini generis singularis in ceteris pronominibus *in* syllaba terminatur: *tasmin in hoc*, *etasmin in eodem*, *jasmin in quo*, *sarvasmin in omni*; in pronominibus primae et secundae personae et in substantivis masculini et neutrius generis in *i* syllabam exit: *maji in me*, *twaji in te*, *padi in pede*, *vatschi in sermone*. Antiquiorem autem *in* syllabam arbitramur esse, quod *n* litterae addendae nulla caussa appareat, eadem autem frequenti huius casus usu facile aboleri potuerit. Apud Graecos quoque duplex ista casus locativi forma extat, et antiquior quidem illa in *ἐμίν*, *τεΐν* et *τίν*, *ἵν* et *ἑΐν*, *σφίν*, *φίν*, *ψίν*, quae, quum proprie sint locativi, tamen in dativi casus formis numerantur, nec usu quidquam ab *ἐμοί*, *σοί*, *οἷ* differunt. Eodem *ἡμῖν* et *ὑμῖν* formae sunt referendae, quas ita ortas esse, ut ad radices, quae collectivam haberent significationem, casuum formae, quae essent singularis numeri, adderentur, §. 4. 2. demonstravimus. Eandem denique locativi formam in particulis *ἔνθεν* et *ἔνθα* inesse puto. In *εν* enim locativi significatio inest, quam vocem de pronomine quodam *Ἰ* sive *ἸΣ* esse derivandam et proprie *ἴν* sonare §. 5. 5. est expositum. Ac si quis *ἴν*, non *ἔν*, huius pronominis esse debere locativum dixerit, is facile refelli potest; *i* enim in verbis, quorum frequens est usus, in omnibus linguis facile in *e* transit, idque maxime in hoc factum est pronomine. Quare haud scio, an etiam *ἄν* huc pertineat, quod *Ἰ* sive *ἸΣ* pronominis esse videtur locativus. (Cf. §. 5. 4.) Quaeritur autem, in quibusnam vocabulis altera illa brevior locativi forma extet. *Σφί*, quod pro *σφίν* dicitur, commemorare nolo; sed plane ad aliud quid fertur animus. Graeci videlicet, nisi forte *ἐμοί*, *σοί*, *οἷ*, *ποῖ* et *ὅποι* verae sunt dativi formae, omnino dativum casum ignorant et tantum habent locativum. Nam in ceteris linguis dativus casus longam habet syllabam, in graeca *ι* breve extat, quod cum indica locativi forma congruit. Itaque qui ita praecipiunt, locativi vim et significationem apud Graecos per dativum efferri, non recte dicunt, quum potius dicendum sit, quae aliis in linguis per dativum casum notiones efferantur, eas apud Graecos ad locativum esse translatas et pro dativo apud eos usurpari locativum. Quod quam verum sit, etiam pluralis numeri formis comprobatur. Nam etiam in plurali numero Graeci in dativi usum non eam formam

converterunt, quam ceteri populi ad dativum adhibuerunt, sed eam, quae propria locativi pluralis numeri fuit. Dativi apud Graecos antiquissima fertur forma esse *σι* sive *εσι*, *εσσι*, quae cum linguae sanscritae casu locativo, cuius forma est *su* sive *shu*, egregie congruit. Cf. sanscr. *pat pes*, locat. plur. *patsu*; πούς πόδες, dat. plur. *ποσσί*, *ποσί* sive *πόδεσι*; sanscr. *datri dator*, *δοτήρ*, locat. *datrisu*, *δοτῆρσι*. Eo minus igitur, cum in plurali numero utriusque linguae locativi congruant, de singulari est dubitandum.

3) At quum apud Graecos locativus casus integer sit servatus, apud Latinos tantum singula extant eius vestigia ita comparata, ut apud eos quoque in pronominibus *in* sive *im*, in ceteris nominibus *i* casus locativi terminationem fuisse, cognosci possit. Ac pronominum quidem multi locativi extant in vooulis, quae plerumque inter adverbia numerantur. Eo enim sunt referenda *hinc*, *istim* et *istinc*, *illim* et *illinc*, *quin* in *alioquin* et *ceteroquin*, *utrinde*, *utrinque*, *utrinsecus* et *utrinquesecus*, *intrinsecus*, *extrinsecus*, *altrinsecus*, *perendie*, *inde*, *unde*, *olim*, *sin* et *si*, *interim*, *enim*. De quibus verbis ut recte indicetur, ad duas res est animus advertendus. Alterum est, quod quum locativus interiret eiusque in usum ablativus succederet, non potuit fieri, quin, quae locativi superérant formae, partim etiam ablativi notionem acciperent. Deinde quum Latini *m* littera plurima terminarent vocabula, plerique horum locativorum, nisi ubi *m* littera a subsequente consona repudiabatur, pro *in* *im* recipiebant. Denique hoc quoque est reputandum, locativum, quanquam proprie ad locum referatur, simul tamen et tempus significare et ita haec pronomina ad temporis significationem facile transferri posse. Locativi autem formae apud Latinos hae sunt:

a) *Olim* habet locativi vim, est enim ex *ille* sive *olus* (cf. §. 12. 3.) factum et *illo tempore*, *praeterito et futuro*, significat.

b) *Im*, quod extat in *interim*. Festum enim, si *interim* ex *interatim*, et *interdum* ex *interduatim* contractum esse putat, errare, non est, quod argumentis comprobemus. Errat item Vossius, qui *interim* e praepositione atque accusativo feminini generis *im* factum et pro *inter eam rem* dici credit. Namque hic feminini generis accusativus nusquam reperitur, neque *im* neutrius generis esse potest, quod *m* in *is* pronomine a neutrius generis natura abhorret. Quod si quis dixerit, *inter* cum accusativo neque cum alio casu componi, hoc quidem ad prisca linguae latinae tempora non pertinet. Nam ea aetate, qua plures etiamtum casus in usu erant, praepositionum alia erat ratio, eaeque etiam cum pluribus casibus constructae reperiuntur, quam eo tempore, e quo litterarum monumenta ad nos pervenerunt. Hoc profitetur Festus in Excerptis Pauli Diaconi p. 18. ed. Lindemann. *adeo idem*, *quod usque eo*, *non quidem secundum rationem*, *quia ad praepositio accusativis accommodata est*, *sed*

antiquae quidem (unus cod. quadam) *loquendi consuetudine*. Idque vocabulis *abhinc*, *dehinc*, *adeo*, *inde*, *unde*, *inibi*, *intereā*, *praetereā*, *proptereā*, *interdiu* et *interdum*, *posthac*, *posteā*, *antehac* aliisque confirmatur. Atque *inter* etiam cum ablativo videtur constructum esse in formula quadam augurali. Varro de Ling. lat. VII 81. p. 292. Spengel. *inter ea conregione, conspicione, cortumione.* (Cf. §. 18.) Neque dubium est, quin etiam simplex *im* sive *em* extiterit; nam apud Festum in Excerptis Pauli Diac. p. 57. *em* pro *tum* dictum esse commemoratur, quod, nisi locativi casum esse statueris, quomodo explices, vix inveneris. Idem denique in *inde* extat, i. e. *de eo loco*, et in *subinde*, *proinde*, *perinde*, *exinde*, *dein*, *exin*, *deinceps* et, quod Festus (cf. Pauli Diac. Excerpt. e Festo p. 79.) commemorat, *incepa*. Cum *inde* etiam *indidem* cohaeret, in quo ad formarum *itidem*, *ibidem*, *idem* sonus videtur esse accommodatus.

c) Locativi formae praeterea sunt *sin*, *si*, *sic*, *sive*, quas voces e pronomine demonstrativo esse ducendas §. 7. 2. c. monuimus. *Si* autem, si verbi notationem spectas, proprie est: *in hoc*, *in hoc tempore*, *in hac condicione*, *in hac re*. Itaque *si* particula utuntur, qui vota nuncupant, aut res cogitatione fingunt, aut denique sententias dubias proponunt, eodem fere modo, quo in linguá germanica *wenn*, *so*, *wie* particulae usurpantur. *Sin* antiquiorem esse formam, ex iis, quae supra disputavimus, apparet; ea vero forma multo usu attrita et in *si* mutata est, ac longior illa et antiquior tantum in gravioribus sententiis retenta, ubi *si vero*, *si autem* significat. Itaque *si* optatum significat Virg. Aen. VI, 156.

> Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
> Ostendat nemore in tanto.

Idem sexcenties condicionem, qua aliud quid fieri possit, indicat, v. c. Cic. ad Fam. II, 7. *Nusquam labere, si me audies*; atque dubitationem, v. c. Ter. Heaut. I, 1, 118. *Visam, si domi est.* Interdum ad res demonstrandas, praesertim in comparationibus, usurpatur, diciturque *sic*. (Cf. §. 12. 1.) *Si* repetitum res disiungit. Gell. II, 28. *eas ferias si quis polluisset, hostiam si deo, si deae immolabat.* Sed tum plerumque *sive*, *sive* dixerunt, quod quam aptum sit ad res componendas, mente et cogitatione tantum effictas, patet. Ita Graeci quoque ad *εἰ* particulam *τε* addiderunt et *εἴτε*, *εἴτε* dixerunt, et Indi *jadi*, particulae condicionali, *va* particulam, quae Romanorum est *ve*, adnexuerunt et *jadiva*, *jadiva*, i. e. *sive*, *sive*, formarunt. *Sive* etiam interdum ita dictum est, ut simul particula condicionalis et coniunctiva esset. Cic. de Fin. I. §. 3. *Sive enim ad sapientiam perveniri potest, non paranda ea solum, sed fruenda etiam est; sive hoc difficile est, tamen*

nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris, et quaerendi defatigatio turpis. Pro *sive* etiam *seu* in usu erat. (Cf. d.)

d) *Quin* pronominis *qui* sive *quis* est locativus, qui in vocibus *ceteroquin*, *alioquin* extat. Sed quemadmodum e *sin* factum est *si*: sic e *quin* *qui* est ortum, quod in *ceteroqui*, *alioqui* comparet. Itaque intelligitur, *qui*, quod pro *qua re*, *quomodo* saepe dicitur, ambigi posse, num locativus sit an ablativus, quae forma deinde cum *ne* negatione composita in *quin*, i. e. *quidni*, *cur non*, mutata est. Atque uti *si*, ita *qui* etiam cum *ve* particula composuerunt, unde factum est *ceu*, eodem modo, uti e *sive* ortum est *seu*, e *neve* *neu*. *Ve* enim, quae proprie est particula relativa, late patuit neque a comparationibus abhorruit. *Ceu* igitur idem significat, quod *veluti* *oder wie*. Sed quum in *qui* pronominis declinatione *i* littera facile intercideret, (cf. §. 6. 3.) pro *quin* non mirum est, si etiam *cum* seu *cun* dicebatur. At quo minus *quum*, quod significat *quo tempore*, locativum esse iudicem, impedit particularum *tum*, *dum*, *num* comparatio, de quibus §. 25. copiosius agam. Etiamsi igitur *cum* particulam aliter explicandam esse credam, tamen *unde* huc pertinere arbitror, quod e *cunde* esse ortum, §. 15. demonstravimus. Hoc enim cum *inde* si contenditur, facile patet, esse locativum et *de quo loco* significare. Quae locativi forma num in *cunque* insit, incertum est. Nam quanquam *quicunque* bene per *qui quoque in loco* explicari potest, tamen etiam non inepte agat, qui per *qui quoque tempore* interpretetur. (Cf. §. 27.) *Unde* autem, quanquam plerumque ad locum, interdum tamen etiam ad homines refertur, v. c. Cic. pro Mur. 12. §. 26. *Quid responderet ille, unde petebatur, non habebat.*

e) Casus locativi significatio porro est in *perendie*, hoc enim e *die* et *peren* compositum esse, primus vidit Boppius. Quae sit huius vocis radix, §. 14. p. 63. est expositum. Pro *perindie* autem, quae propria fuit forma, dicebatur *perendie*, quod *r* littera et antecedens *i* et subsequens in *e* saepe immutat; ita *tuearis*, *docearis*, *ameris*, *legeris*, *legereris*, *s* consona omissa, in *tueare*, *doceare*, *legerere* etc. transierunt. *Perendie* vero est *alio* sive *remotiore*, i. e. *tertio die*. Nam apud Plautum semper cum *cras* componitur. Plaut. Aulul. II, 1, 33. *His legibus, si quam dare vis, ducam: quae cras veniat, perendie foras feratur.* Id. Stich. IV, 1, 11. *Cras apud me eritis;* Pamph. *et apud me perendie.* Itaque factum est, ut diem, qui crastinum subsequitur, significet. Quare si Cicero confitetur, Romanos *perendinus* vocis vim ignorare, (pro Mur. c. 12. *Tot homines tam ingeniosi per tot annos statuere non potuerunt, utrum diem tertium an perendinum dici oporteret,*) nos linguarum comparatio meliora et certiora edocuit.

f) Tum de *hinc*, *istim*, *istinc*, *illim* et *illinc* est disputandum. *Istim* et *illim* recte dici, et ex superioribus perspicuum est, et grammatici veteres et libri manuscripti te-

testantur. (Cf. Forcellini s. v. *illim.*) In *inde*, *unde* aliisque verbis supra vidimus locativi significationem evanuisse eiusque in locum ablativi notionem successisse. Idem in omnibus illis vocabulis factum est.

g) Locativi porro formam servatam videmus in *utrinde*, *utrinque*, *utrinquesecus* et *utrinsecus*, *altrinsecus*. Atque cum *uter* et *alter* apud Latinos inter pronomina referantur, eorum etiam locativum eandem atque cetera pronomina habere formam, non est quod miremur.

h) Denique *intrinsecus* et *extrinsecus* sunt commemoranda. Haec verba e *secus* atque *extrin* et *intrin* composita sunt, quae quum ad adiectiva *exterus*, *a*, *um*, et *interus*, *a*, *um*, quod ipsum intercidit, cuius vero deminutivum *interulus* superest, pertineant, qua ratione pronominis locativum habere possint, iure quaeritur. Quam rem quanquam totam exponere et omnibus numeris absolvere ab hoc loco alienum est, tamen haec commoneamus necesse est. In multis linguis e praepositionibus adiectiva, quae sunt gradus comparativi atque superlativi habent formam, derivantur. Ex his in lingua indica plura adiectiva, quae ad gradum comparativum pertinent, pronominum declinationem sequuntur. Huius generis sunt apud Indos *aparas*, *a*, *am alius*, *avaras inferior*, *posterior*, *uttărăs superior*, e praepositionibus inseparabilibus *apa*, *ava*, *ut*, orta, itemque *ăthărăs inferior*, et *antaras exterior*, quorum radices etiam praepositiones videntur esse. Atque in lingua latina idem factum est. Nam e praepositione quae derivantur adiectiva comparativa, ea in casu locativo et instrumentali et dativo (cf. §. 18. et 25.) cum pronominum declinatione consentiunt, nonnunquam etiam his tantum in casibus supersunt. Eoque modo *intrin* et *extrin* sunt explicanda. Ex *in* praepositione *interus*, gradus comparativus, est factus; quod vocabulum aliquando extitisse, ex *intrin* casu locativo, *intra* instrumentali, *intro* dativo cognoscitur. *Extrin* autem locativus est casus vocabuli *exterus*, quod adiectivum *ex* praepositionem radicem habet.

i) Atque has, quas huc usque enumeravimus, esse locativi formas, eo verisimilius est, quod etiam in cetera nominum declinatione singula locativi casus vestigia supersunt. Nam qui huc usque locorum sive urbium putabantur aut genitivi aut ablativi esse *humi*, *militiae*, *belli*, *domi*, *ruri*, *Romae*, *Sagunti*, *Tarenti*, *Carthagini*, *Lacedaemoni*, *crastinidie*, *postridie*, *heri*, *temperi*, hi sunt, uti primus Rosenius in corporis radicum sanscritarum prolusione, Berol. 1826, ostendit, veteres locativi formae.

§. 18.

DE CASUS INSTRUMENTALIS IN GRAECO ATQUE LATINO PRONOMINE INDICIIS.

Casus instrumentalis apud Indos forma in singulari numero est *ā*, in plurali *bis*. Quum qui in lingua sanscrita inveniuntur casus, eosdem etiam apud Graecos et Romanos ultima linguarum memoria in usu fuisse sciamus, videndum est, num etiam casus instrumentalis vestigia in istis linguis reperiantur, eaque, si qua sunt, in pronominibus quaerenda.

a) Ad singularis numeri casum instrumentalem ἧ, πῆ, ὅπη, πάντη, πανταχῆ, οὐδαμᾶ, μηδαμᾶ voces referendas esse arbitror, quos plerumque dativos feminini generis, in quibus ὁδῷ sit intelligendum, esse crediderunt. At primum tantum abest, ut his verbis antiquitus iota subscriptum sit, ut hoc ab iis additum sit, qui, quam ipsi putabant originem verbi esse, per ι significare voluerunt. Nam Eustathius πῆ ὑπὸ τῶν τεχνικῶν σὺν τῷ ι scribi commemorat. Deinde si ὁδῷ supplendum esset, sine dubio ὁδῷ interdum additum legeretur, quod non fit. Huc accedit, quod, si ὁδῷ addis, saepe inepta efficitur sententia; verbi caussa in Aesch. Prom. 563. σήμηνον ὅπη γῆς ἡ μογερὰ πεπλάνημαι, et 577. πῆ μ' ἄγουσι τηλέπλανοι πλάναι; Adde etiam formam πάντη, pro qua πάσῃ dixissent, si feminini generis illae formae fuissent. Hoc unum potest opponi, etiam dativi formam ταύτῃ atque etiam accusativum feminini generis hoc modo usurpari, v. c. μακράν; sed quum e ceteris pronominibus formae essent natae, quae feminini generis videbantur esse, ad eandem normam et ταύτῃ facile formari potuit. Μακράν autem primum est adiectivum, non pronomen, et quum vox μακράν ipsa eo ducat, ut ὁδόν intelligamus, patet, quam facile omitti potuerit.

b) Eadem casus instrumentalis forma apud Romanos in *ea*, *qua*, *hac*, *istac*, *illac* superest, quas voces itidem multi explicaverunt, ut aut *parte*, aut *via* supplendum esse censerent, quanquam neutrum cum vocis sententia congruit. Nam in verba composita *eatenus*, *quatenus*, *hacpropter*, *quapropter*, *praeterea*, *interea*, *antea*, *postea*, *antidea*, *postidea* (haec ex *ante* et *post* praepositionibus, *id* et *ea* composita sunt, uti *ideo*) neque partis neque viae notio cadit, neque vero in simplicia. Cf. Corn. Nep. Milt. 3. *pontem fecit in Histro flumine*, *qua copias traduceret*. Cic. pro L. Manil. c. 9. *in iis locis*, *qua — persequeretur*. Eodem *quasi* referendum puto, quod plerique pro *quam si* dictum esse credunt. Sed quae Schneiderus omissae *m* litterae exempla affert, (Elementarlehre der lat. Spr. p. 307.) ea omnia in hoc verbum non cadunt, atque quum *quasi* particula non ad gradum comparandum adhibeatur, ad quam rem *tanquam* par-

ticula usurpatur, sed ad rationem et viam, qua quid fiat, componendam et contendendam, facile apparet, *quasi* e *qua*, quod rationem et viam, qua quid fiat, indicat, et *si* particula esse ortum. *Qua* autem syllaba correpta est, uti in his particulis saepe fit. (Cf. §. 27.) Atque hac ratione manifestum fit, quomodo *intereā, anteā, posteā, posthac, quapropter, hacpropter, propterea, praetereā* sit explicandum. Sunt hi pronominum casus instrumentales cum praepositionibus compositi, quoniam antiquitus praepositionum usus latius patebat, eaeque cum pluribus quam postea casibus componebantur, qua de re §. 17. 3, b. locuti sumus. Eandem formam antiquam in adiectivis comparativis e praepositionibus ortis reperimus in *extra, contra, ultra, citra* et *intra*, (cf. §. 17. 3, h.); praeterea huc referendum est *infra*, ab *inferus* deductum, quod multis in rebus cum adiectivis illis comparativis congruit; quanquam e *qua* praepositione sit ortum, nemo adhuc certo iudicare potuit. (Cf. Bopp. Abhandll. d. Berl. Akad. 1826 p. 90.)

Unum tantum opponi potest, quod habet difficultatem, in Senatusconsulto de Bacchanalibus, in quo multae veteres insunt formae, ad *eā, extrā, suprā d* litteram, quod ablativi est signum, (cf. §. 19.) additam et arvorsum *ead, extrad, suprad* scriptum esse. Sed qui femininum genus adverbii in locum sit conversum, id quod Boppius l. l. p. 90. arbitratur, quum non sit in aperto, ad formam, quam casus instrumentalis iam ignari ad ablativum pertinere opinabantur, credo, Romanos non satis apte ablativi signum addidisse.

c) Pluralis numeri casus instrumentalis apud Indos omnibus in vocabulis *bhis* syllaba terminatur praeter ea nomina masculini et neutrius generis, quae declinationem primam sequuntur, quae est eadem atque Romanorum et Graecorum prima et secunda; in iis est *ais* syllaba, v. c. *çivas, ā, am* pluralis numeri habet instrumentalem m. *çivais*, f. *çivabhis*, n. *çivais*, quanquam horum quoque nominum in Rig-Vedae specimine, §. 5. 1. commemorato, antiquiores formae, in *ebhis* exeuntes, reperiuntur. Altera autem terminatio *ais* ita nata est, ut e litteris *bhis* primum *b*, deinde etiam *h* eliderentur, et residuae litterae cum antecedente vocali in unam longam, in *ais*, coalescerent. Eadem syllaba in singularis numeri formis in usu fuit. Nam si *bhis* est pluralis numeri forma aliqua, etiam in singulari *bhi* aliquando in usu fuisse propterea coniicere possumus, quod *s* littera haud raro pluralis numeri est signum. Atque haec forma apud Indos in singulari numero dativum indicat in *mahi tubhi, mihi tibi*; *mahi* enim e *mabh*[illegible] tera elisa, ortum est. Eadem syllaba in *tibi, sibi, mihi* extat; in *mihi* en[illegible] elisa, idque verbum *h* etiam eiecta in *mi* contractum est. Locativi casus vi[illegible] in *ibi, ubi*, quod pro *cubi* dixerunt, (cf. §. 15. p. 68.) *alibi* et *utribi* habe[illegible]

d) Pluralis autem numeri forma *bhis* apud Latinos extat in *nobis* et *vobis*, sed pro *nobis*, *b* littera eiecta, etiam *nis* dicebatur. (Cf. Fest. in Exc. Pauli Diac. p. 86.) Quemadmodum autem apud Indos in prima nominum declinatione, *bh* litteris eiectis, *ais* ortum: sic *is*, qui dativus et ablativus primae et secundae declinationis in plurali numero est, natum esse puto, nam quae propria fuit forma, *bonibhis*, ea in *bonis* contracta est. Apparet igitur, Romanos ad dativum et ablativum casum significandum in pronominibus primae et secundae personae et nominibus et pronominibus, quae primam et secundam declinationem sequuntur, eam formam, quae apud Indos instrumentalis esse dicitur, adhibuisse. Contra quae forma in numero plurali apud Indos instrumentalem et apud Latinos dativum et ablativum significat, eadem in singulari numero dativo et apud Latinos dativo et locativo indicando inservit. Eiusdem originis Graecorum φι et φιν, quod et ad singularem et ad pluralem numerum additur, videtur esse, de qua re, quum illa syllaba minus pronominum quam ceterorum nominum propria sit, alio loco plura sunt disserenda.

§. 19.

DE ABLATIVI CASUS IN PRONOMINE VESTIGIIS.

1) Dativus et ablativus singularis numeri apud Latinos forma differunt. Fuere quidem nonnulli in ea sententia, ut dicerent, eandem in lingua latina dativi et ablativi antiquitus fuisse formam, ac postera demum aetate hos casus et forma esse et significatione discretos. Sed id equidem plane secus fuisse statuo. Etenim quum apud Indos in pronominibus omnibus et in magna etiam nominum parte ablativus sive *d* sive *t* littera terminetur, (abl. *mat me*, *twat te*, *tasmat hoc*, *etasmat eodem*, *çiwat felice*) et in antiquissimis linguae romanae monumentis, in columnae rostratae inscriptione et Senatusconsulto de Bacchanalibus, omnes ablativi singularis numeri in *d* exeant: recte Boppius (Abhdll. der Berl. Akademie 1826, 21. Dec.) antiquam ablativi singularis formam in omnibus his linguis in *d* exisse eamque a Latinis eo tempore, quo columna rostrata et Senatusconsultum de Bacchanalibus confectum est, religiosius etiam quam ab ipsis Indis retentam esse iudicavit. Quae quam vera sint, linguae zendicae comparatione comprobatur, nam hac in lingua fere in omnibus verbis *t* ablativi fuisse signum, e Zoroastri libro *Vendidad Sade*, quem nuperrime Burnouf Parisiis edidit, apparet. (Cf. Berliner Jahrbücher der wissenschaftlichen Kritik 1831, Nr. 46.) Patet igitur, pronominum quoque romanorum ablativum in singulari numero *d* litteram habuisse, quam litteram paragogicam grammatici nostri vocant. Eius primus mentionem fecit Quintilianus 1, 7, 12. *Latinis veteribus*, inquit, *d plurimis in verbis ultima adiecta, quod manifestum est etiam*

est columna rostrata, quae est C. Duellio in foro posita. Sed quum Quintilianus d litteram solius ablativi propriam esse non videret, sed eam potius omnibus vocabulis apponi posse, e columnae rostratae inscriptione coniiceret, non mirandum est, ceteros qui post eum vixerunt, grammaticos in ea sententia mansisse, ut hiatus vitandi caussa d ubivis inseri posse crederent, quae opinio per medii aevi grammaticos servata et Mureti (Var. Lect. XV, 19.) auctoritate commendata ita invaluit, ut ea in veterum poëtarum carminibus corrigendis et restituendis multi critici male abuterentur. Quam rem quanquam omnem persequi longum est et a re nostra alienum, tamen paucis et quasi praeteriens hic expediam. Quae ex Plauto afferuntur testimonia, quibus *d* ad hiatum vitandum insertum esse probare volunt, ea omnia dubiae sunt fidei. Verumtamen *med* et *ted* a Plauto usurpata esse credibile est. Nam in pronominibus antiquissimas formas scimus diutius quam in aliis vocabulis esse servatas. Deinde etiam hoc concedi potest, *med* et *ted* accusativi locum aliquandiu apud veteres obtinuisse. Nam quum *d* sensim intercideret et in primae secundaeque personae et in reciproco pronomine accusativi ablativique formae congruerent, facile fieri potuit, ut has formas inter se permutarent. Quod enim Gellius Noct. Att. XVI, 5. de suo tempore dicit: *Pleraque sunt vocabula, quibus vulgo utimur, neque tamen liquido scimus, quid ea proprie atque vere significent, sed incompertam et vulgariam traditionem rei non exploratae secuti videmur magis dicere, quod volumus, quam dicimus*; idem etiam in prisca tempora cadit. At ut statuam, *med* et *ted* et *sed* aliquando accusativi locum tenuisse, non tam locis quibusdam Plauti adducor, in quibus apud Gronovium legitur *med*: Amphitr. I, 1, 244. *nec nobis praeter med alius quisquam est servos*, et 278. *tu negas med esse*, et 279. *Per Jovem iuro med esse*, et Asin. I, 1, 5. *Si quid med erga tu hodie falsum dixeris*, et Pseud. V, 1, 27. *orant med, uti saltem*, in quibus locis omnibus codices admodum variant; quam quod *med* accusativum inscriptio habet antiquissima, quae apud Orellium Inscript. Nr. 2497. extat: *Novios Plautos med Romai fecid. Dindia Macolnia filea dedit.* Accedit, quod in SC. de Bacchanalibus bis *inter sed* legitur, nisi forte *sed* ablativum eo in loco esse mavis. *Inter* enim cum casu ablativo etiam constructum esse, §. 17. 2, b. est patefactum. Quod si accusativi *me, te, se* nonnunquam *d* ablativi signum acceperunt, idem in iis vocibus, quas ablativi putabant esse formas, multo etiam accidere potuit facilius. Nam ita explicandum credo, quod in *extrad*, *suprad*, et *arvorsum ead*, quod in SC. de Bacchanalibus legitur, *d* littera adiecta est. Boppius autem, ut *arvorsum ead* explicet, *d*, quod in *id*, *aliud*, *istud*, *illud* singulari numero reperiatur, etiam ad pluralem numerum credit transisse. Neque tamen huius usus ullam apparet vestigium. Quare equidem ea non neutrum pluralis numeri, sed casum instrumentalem singularis

numeri esse indico, et *arvorsum ead*, ita ut *interea*, *propterea*, *antea*, *postea*, *postidea*, *antidea* compositum esse arbitror. Quae casus instrumentalis forma, quum aeque atque *extra* et *supra* pro ablativo haberetur, *d* etiam littera est addita. Itaque *ead* pronuntiandum est.

2) In plurali numero casus ablativi et dativi una apud Indos forma est *bhjăs*. Quum pro indico *ă* Romani *u* ponant, apud eos *bjus* et litteris transpositis *ibus*, quae est dativi et ablativi forma, in *patribus*, *fructibus*, oriatur necesse est, nonnumquam tamen ab antecedente vocali subsequens iota obruitur, ut in *quercubus*, *rebus*, *duobus*, *duabus* factum est.

§. 20.

DE NOMINATIVI SINGULARIS NUMERI FORMIS.

1) In nominativo masculini generis plerumque *s* radici additur. Utrum autem *ego* et *tu* antiquitus nominativi signum habuerint, an eo omni tempore caruerint, quamvis incertum sit, tamen animus magis ad hoc quam ad illud inclinat probandum. Neque difficile est inventu, quid fuerit in caussa, cur his pronominibus nominativi nota non adderetur. Quum enim *ego* et *tu* pro utroque genere diceretur, isto nominativi signo omnino non opus fuit, praesertim cum *ego* nonnisi in eo casu eaque forma usurparetur. In ceteris vero pronominibus sicubi *s*, nominativi signum, in masculino genere deest, v. c. in *ŏ* et in *hic*, *qui*, *ille*, *ipse*, illud multo usu sublatum esse statuendum est. (Cf. §. 8. 1.) Feminini generis nominativus ita formatur, ut aut *s* addatur, aut vocalis littera, qua vocis radix terminatur, producatur. Alterum in pronominibus in usu est, sed litteram productam Romanos denuo corripuisse credendum est; et quemadmodum *mensă*, *bonă*: sic *eă*, *quă*, *illă*, *ipsă*, *aliă* dicta sunt. Eo maiori sunt offensioni *haec* et *quae* voces, quae a cetera latina declinatione plane recedunt. Harum equidem notationem e linguae sanscritae comparatione repetendam esse persuasum habeo. Apud Indos enim femininum genus in adiectivis dupliciter formatur, ut aut ad radicem *ī* addatur, aut vocalis, si nomen vocali terminatur, producatur. Apud Graecos atque Romanos quamvis productio tantum vocalis vulgo usitata sit: tamen haud scio, an alterius quoque formae vestigium in *quae* et *haec* pronominibus insit; eas enim voces e *quai* et *haic*, ita ut *Romae*, *aquae* e *Romai*, *aquai*, natas esse verisimile mihi videtur. Eodem modo *quae* et *haec* neutrius generis nominativi plurativi formati sunt. Indorum enim nominativus neutrius generis in plurali numero a latina et graeca forma multum differt; semper enim habet *ī*, quod, si *ă* praecedit, in *ae* contrahitur. Ita etiam *quae* et *haec* in plurativi neutro genere orta esse credo.

2) Nominativus neutrius generis in singulari numero qui fuerit in pronominibus, non est difficile dictu. Nam in Gothorum lingua adiectivorum nominativus in neutro genere plerumque in *ata* exit, v. c. *blind-ata*, *caecum*, et pronominum in *ta*, v. c. *ita*, *hita*, *thata*. Quae quidem neutrius generis terminatio tempore progrediente sensim attrita est et aut in *z*, v. c. in *plintaz*, *iz*, *hiz*, *daz*, *huaz*, *saz*, aut in *t*, v. c. in *hit*, *that*, *huat*, contracta. Eadem forma et in indicis et in latinis pronominibus *jad quod*, *tad id*, *aetad illud*, *kad quid* etc. reperitur. Attamen *ta* quoque formae, quae antiquior videtur fuisse, apud Romanos in *ita* et *uta* supersunt vestigia, quorum alterum satis usu est tritum notumque, alterum in *aliuta* composito extat verbo. *Uta* enim pro *cuta* dictum; (cf. §. 15.) et sicuti ex *ubi* et *unde* praeposito *alis* pronomine *aliubi*, *aliunde*: ita ex *uta* factum est *aliuta*. Cuius vocabuli, quod aeque atque *ita* adverbii significationem accepit, veterrimum testimonium est apud Festum, qui in Excerptis Pauli Diac. p. 5. haec habet: *Aliuta antiqui dicebant pro aliter ex Graeco id ἀλλοίως transferentes. Hinc est illud in legibus Numae Pompilii: Si quisquam aliuta faxit, ipsos Iovis sacer esto.* In *ipse* autem voce Romani vulgarem adiectivorum declinandorum rationem secuti *ipsum* formaverunt.

3) Graeci neque *ta* neque *t* habuerunt, quorum alterum antiquissimis temporibus intercidisse credendum est, alterum ferre illi non potuerunt, quippe apud quos verba non in alias, nisi in *ϱ*, *σ*, *ν* litteras exierunt. Itaque *t* littera omissa *τί*, *τό*, *κεῖνο*, *ἀλλό*, *αὐτό* dixerunt. Sed quoniam cetera secundae declinationis nomina *ον* habebant, factum est, ut haec quoque verba ad communem normam revocare atque formare vellent. Itaque quemadmodum in Romanorum lingua *ipsum* factum est: ita Graeci in *ταὐτόν*, *τοσοῦτον* et *τοιοῦτος*, quibus pro *ταὐτό*, *τοσοῦτο*, *τοιοῦτο* cum alii scriptores, tum inprimis poëtae tragici usi sunt, adiectivorum declinationem sunt secuti.

§. 21.

DE GENITIVO SINGULARIS NUMERI.

Apud Romanos genitivi *eius*, *cuius*, *illius*, *utrius*, *alterius*, *solius*, *istius*, *ipsius*, *unius* multum ab relicuorum nominum declinatione recedunt. Attamen *u*, quod *s* litteram praecedit, nihil habet difficultatis. Notum est enim, in iis formis, in quibus Indi *ă*, Graeci *ο* habeant, Romanos *ŭ* adscivisse, quod saepe in [illegible] tum; ita ex *optumus*, *maxumus* factum est *optimus*, *maximus*, et in *legi*[illegible] *mus* media syllaba antiquitus *u* fuit, uti e *sumus*, *volumus*, *nolumus*, *po*[illegible] ret. Quid quod? sunt etiam formae quaedam, in quibus geniti[illegible]

per *u* scriptus est, *domuus, nominus, Venerus, Castorus, Cererus.* (Cf. Hartungum de Casibus p. 161.) Atque ad *i* explicandum Hartungus recte contulit graecam *λόγοιο* formam, e qua, *ι* elisa littera, vulgatum *λόγου* factum esse, iam Buttmannus vidit. Ex his perspicitur, *ios, ius* veram genitivi formam fuisse, retentam ab Romanis in illis pronominibus, e quo modo *i*, modo *s* littera eiecta et in ceteris nominibus variae genitivi formae et in pronominibus personalibus *ἐμοῦ, σοῦ, οὗ, mei, tui, sui* ortae sint. Quibus antiquiores et graeci et latini genitivi, qui *s* habent, *ἐμοῦς, ἐμέος, ἐμεῦς, τέος, τεῦς, τέους, τέως, mis, tis, sis.* De *ἐμέθεν, σέθεν, ἕθεν* infra §. 26. sermo erit.

§. 22.

DE DATIVI SINGULARIS FORMIS.

1) Quae dativi forma fuerit propria, difficile est dictu; quae significatio, multo etiam difficilius. Nam in plerisque linguis notiones casus ablativi, instrumentalis, locativi et dativi, qui antiquitus et forma et loquendi consuetudine disiuncti erant, una dativi forma significatae sunt. Ita apud Germanos factum est. Contra Graeci ceteris, quos supra commemoravi, casibus carent et unum retinent locativum; (cf. §. 17.) Romanis vero et ablativus est et dativus in usu, et quae apud eos locativi et instrumentalis supersunt reliquiae, eas alii aliorsum traxerunt. Ac si, quid apud Graecos dativus proprie significet, quaerimus, id quidem ex iis, quae §. 17. sunt exposita, perspicuum est. Proprie enim locum, in quo aliquid fiat, eo exprimi cum forma indicet, tum usu facile potest comprobari. Plane alia autem dativi ratio est in lingua romana. Nam cum Romani casus locativi et instrumentalis notiones ad ablativum transtulerint, quaeritur, quam significationem reservaverint dativo? Sed hanc rem absolvere, ab hac disputatione alienum est. De pronomine enim agimus, non de casuum significatione, de qua alio tempore dicendi nobis occasio erit. Hoc unum hic monuisse sufficiet, dativi significationem in lingua latina ab accusativo non adeo differre, quam plerique, linguae graecae exemplo decepti, opinantur. Nam dativi in lingua latina ea vis est ac potestas, ut aliquid ad rem aliquam respicere et ad eam ferri significetur, nulla tamen ratione habita, utrum ea res hac actione sive respectu afficiatur, nec ne, id quod e re ipsa et e sententiarum cohaerentia est intelligendum; accusativus autem casus ita differt, ut hic aliquid ad rem aliquam ita admoveri ostendat, ut eam afficiat et quasi eam intro eat et immutet.

2) Atque ut eas pronominum formas, quae a communi declinatione recedunt, singulas contemplemur, *mihi, tibi, sibi* voces iam §. 18. c. explicatae sunt; ceterae autem nihil

nihil habent difficultatis. Nam in *μοί*, *σοί*, *οἷ* simplex *ι* ad radicem est appositum. Huc etiam *τοί* est referendum, de quo §. 9. 3. actum est. Id quum proprie *aliqua in re* significet, quomodo affirmandi et asseverandi vim possit accipere, id facile intelligitur; nam si cui rei caussam subesse eaque tanquam fundamento niti dicimus, ei multum auctoritatis accedit. — Romanorum formae *ei*, *huic*, *cui*, *alii*, *uni*, *utri*, *alteri* neminem, cui dativum in *ι* exisse notum est, offendunt. Hac una tantum re differunt, quod in ceteris nominibus *i* littera cum antecedente vocali saepe coalescit, quod in his formis non est factum.

3) Hoc etiam loco quid sit statuendum de *οἷ*, *ὅποι*, *ποῖ* et *ἐνταυθοῖ* adverbiis, exponendum est. Graecorum casus dativus, qui vocatur, quanquam proprie est locativus, tamen etiam eas notiones, quas Latini efferunt dativo, maximam partem comprehendit. Itaque prout locativi aut dativi casus propria vis obtinet, hae voces supra commemoratae, quos dativos casus esse in aperto est, nunc motionem in locum, nunc quietem in loco significant. *Ἐνταυθοῖ* enim apud Homerum, Platonem et Aristotelem *huc*, apud Atticos vero saepe etiam *hic* significare constat.

Atque *οἷ*, *ποῖ*, *ὅποι* et rem aliquo dirigi vel ferri, quae dativi casus est significatio, et rem aliquo in loco esse, quae locativi vis et potestas est, indicant. Usitatior tamen atque antiquior, uti ex *ἐνταυθοῖ* concludere possumus, in his voculis ea est significatio, qua nihil nisi motum indicant, ita ut has veras dativi, non locativi formas esse coniicias. At quod cum dativo Graeci maxime quietis notionem coniungere consueverunt, paullatim quietis notio in his quoque particulis invaluit. Ita de iis locis puto esse iudicandum, quos Hermannus ad Eur. Herc. f. v. 1236., Reisigius ad Soph. Oed. Col. 23. et Lobeckius ad Phrynich. p. 43. attulerunt, quamquam illi viri docti ratione, qua duplicem istam significationem illa adverbia acceperint, uti mihi quidem videtur, non satis perspecta, in locis supra laudatis multa aliena neque eo pertinentia commiscuerunt.

4) Aliae praeterea voces, quas ad dativum referendas esse arbitror, nunc sunt commemorandae. Nam *perperam*, *tam*, *quam*, *piam*, *iam*, *dam* et *nam* e pronominibus orta esse apparet. Has formas multi accusativos feminini generis esse putaverunt et modo *partem*, modo *rationem*, modo denique *viam* suppleverunt. Sed si haec substantiva tam saepe ad haec pronomina addiderunt Romani, ut etiam omitti posse crederent, quomodo tandem factum esse putas, ut ne semel quidem addita ea [illegible]ur? Alii credunt feminini generis formam adverbii loco esse usurpatam, quod [illegible]ri potuerit, difficile est dictu. Nam quanquam concedendum videtur esse [illegible]m feminini generis formas nonnunquam adverbiorum induisse naturam [illegible]o factum est. Quare ego illas formas alia ratione autumaveri[illegible]

ne longius petita multis posset videri aliquandiu verebar. Sed video eandem probari Francisco Wuellnero, viro docto, in eius libro de origine et notatione formarum, quae ad declinationem et coniugationem adhibentur, p. 211., qui liber, id quod mihi incommode accidit, nunc demum, quum haec iam typis exprimuntur, affertur. Haec autem nostra de his pronominibus sententia est. Apud Gothos dativus masculini et neutrius generis in pronominibus et adiectivis in *amma* sive *mma* syllabam exit: *blindamma caeco, thamma huic, huamma huic, imma, himma ei.* Hanc formam Grimmius tom. I. p. 826. recte cum indici pronominis dativo contendit, qui in *asmai* terminatur, v. c. *tasmai huic, kasmai cui, asmai ei.* Etenim quum *s* littera ante *m* facile in *m* transeat, (cf. §. 4. 6.) quomodo congruant istae linguae, perspicuum est. Sed quo fuit longior illa forma, eo facilius sensim ac pedetentim contrahi atterive coepit; quod et linguae germanicae et litthuanae confirmat auctoritas. Ea enim apud Germanos ita est correpta, ut alii pro *mma, mu*, ut *imu, himu, dimu, huëmu*, alii, *ma* syllaba abiecta, ut Anglosaxones, *him, tham, huam, blindum* dicerent. Atque apud Litthuanos pronominum et adiectivorum dativus in *am* syllabam exit, cf. *sziám huic, jamjam ei, tam ei.* Iam quum ex iis, quae adhuc disputavimus, satis appareat, latinam linguam multarum formarum quasi fragmenta ab interitu servasse, apud neminem temeritatis crimen subire posse videmur, si etiam *tam, quam, pium, jam, dam, nam, perperam* vocabula pro dativis esse habenda arbitramur. Quae vocabula, quum ea flexio in ceteris nominibus obsolevisset, adverbiorum naturam facile induerunt. Atque significatio etiam ad eandem, quam modo indagavimus, originem ducit. Nam quum dativo casu utamur, uti supra docuimus, si ad rem aliquam respicimus eiusque rationem inimus, istae voculae facile ad gradum quendam et sententiae incrementum significandum adhiberi potuerunt, praesertim quum eos Romani dativos esse mox non amplius sentirent. — *Iam*, ex *is* ortum, inprimis ad tempus et praeteritum et praesens et futurum refertur et interdum etiam duplicatur, *iamiam*, ut in litthuana lingua factum esse vidimus. Proprie *iam* bisyllabum est, uti apud Plautum in creticis. Mostell. 1, 4, 24.

Iám revortar diu | ést ïam íd mihi.

Eadem huius vocis est mensura in *quoniam*, quod e *quum* est et *iam* compositum. Propert. II, 33, 13.

Ac quoniam agrestem detraxit ab ore figuram.

Ergo *quum* particulae vis, *iam* vocabulo addito, augetur et exaggeratur; idemque fit in *etiam*. Nam *et* simplex novum aliquid afferri et cum relicuis coniungi, *iam* autem additum sententiam novo incremento intendi et exaggerari significat. — *Tam* inpri-

mis cum adiectivis componitur, idque etiam pro *tamen* usurpari, non solum Festus perspicue docet, qui haec habet p. 273.: *At antiqui* **t a m** *etiam pro* **t a m e n** *usi sunt, ut Naevius:*

Quid si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit.

Ennius: Illae meae tam potis pacis potiri.

Titinius: Bene cum facimus, tam male subimus, ut quidam perhibent viri.

Item: Quanquam estis nihili, tam escator simul vobis consului.

Sed idem inde quoque apparet, quod *tametsi* et *tamenetsi* inter se commutantur. *Tamen* quomodo sit explicandum, incertum est. Wuellnerus eam voculam e *tamana* ortam esse credit; id tamen, quum *na* in aliis latinis vocibus non reperiatur, mihi quidem non satis videtur esse probabile. Quare quum praepositiones ad harum formarum vim augendam saepe addantur, (cf. *adhuc, eapropter, inde, adeo, interea, tamde, quamde, postea* aliaque id genus) *tamen* pro *tamin* dictum esse puto. Nam *tamen* modo gravius est et maiorem habet vim quam *tam*; in ceteris vero non multum differt. Festus *tame* quoque pro *tam* e carmine Saliari affert, uti pro *cum* etiam *cume* in usu fuisse, Terent. Maur. p. 2261. testatur. Quapropter etiam *cumin* aliquando dictum esse, et *tamin* et *cumin* voces sensim attritas et in *tame* et *cume* mutatas, esse opinari licet. *Tandem* e *tam* et *dem* compositum §. 27. explicabitur. — *Quam*, quod indefinitam, relativam et interrogativam habet vim et uti *tam* gradum quendam et exaggerationem significat, omnibus comparationibus inservit. Ut *iamiam*, ita etiam dicitur *quamquam*, a quo *quamvis* ita, ut a *quisquis quivis* differt. — Ad voces *tam* et *quam* nonnunquam *de* praepositio additur, quae quum rem aliquam inde a summa usque ad imam partem considerari atque intelligi significet, harum particularum comparativarum vim intendit. *Tamde* extare putatur apud Lucilium, cuius versus

T a m d e mihi infesti quam Rhondes Icadionque

apud Festum s. vv. *h i c* et *q u e r q u e r a m* legitur. De *quamde* vocabulo Festus in Fragmm. p. 221. haec habet: *Quamde pro quam usos esse antiquos, cum multi veteres testimonio sunt, tamen huius in primo:*

Iuppiter ut muro fretus magis q u a m d e manus i[illegible]

. . . . *secundo:*

Q u a n d e tuas omnes legiones ac populares

et Lucretius (I, 639.)

Clarus ob obscuram linguam magis int[illegible]
Q u a m d e gravis inter Graecos, qui v[illegible]

Eadem voce Naevius usus est auctore Festo p. 269.

Namque nullum peius macerat humanum quamde mare saevum.

De praepositio in hac compositione correpta est. (Cf. §. 27.) Ex iisdem adverbiis, *tus* (*a, um*) syllaba addita, *tantus* et *quantus* oriuntur, (cf. §. 16. 7.) atque, *do* particula adiecta, *quando*, quod haud scio an proprie pro *quam diu* dicatur. Nam *i* in *dies* pluribus in verbis excidit, uti in *biduum, triduum, dudum*, quod ex *diudum* contractum esse, nemo infitiatur. (Cf. commentationem meam de Iovis nomine, in *Jahn's Jahrbücher für Philol. u. Päd.* 1830. Heft 1. S. 341.) *Quando* igitur proprie tempus significat, neque tamen eam vocem ad alias quoque notiones, quae e tempore pendent, translatam esse, et particulae caussalis et condicionalis vim et naturam accepisse, mirum esse potest. Nam particulas, quae tempus significant, saepe ad caussas et rationes, quippe quae e tempore pendeant, et particulas condicionales et caussales non raro ad tempus transferri, inter omnes constat. — Praeterea, *quam* pone pronomen indefinitum collocato, fit *quisquam*, quod quid significet, nunc dicendum est. *Quis* enim pronomine indefinito utitur is, qui rem fingit esse, nulla ratione habita, utrum revera nec ne sit; *quam* autem quum exaggerationem quandam et sententiae amplificationem contineat, ad cogitationem dubitationemque eius, qui rem posuit, refertur; itaque ad sententias, quibus aliquid negatur, inprimis est aptum. Eodem modo *usquam, nusquam, nequidquam, nequaquam* explicanda sunt. — Eadem particula cum simplice negatione in *nequam* componitur, quod *nullius gradus, nullius loci* significat. Quid enim est aliud *homo nequam*, quam qui nullo in loco ponendus, nihili aestimandus est? Quare fit, ut, quod multi frustra mirati sunt, hoc verbum non flectatur. — Ita etiam *perquam* vox est explicanda. Nam ubi ad *quam*, quod significat *aliquo gradu*, *per* praepositio accedit, exprimitur *magno aliquo gradu*. Cic. de Orat. II. c. 49. *Perquam breviter perstrinxi.* Plin. Epist. VII, 27. *Perquam velim scire.* — *Piam* quanquam proprie forma tantum, non significatione a *quam* differt, (cf. §. 7. 2, b.) tamen paullatim hae voces usu sunt et significatione disiunctae. Nam *quisquam, usquam, unquam* plerumque cum negationibus coniunguntur, *piam* omnino rarius est, et gradus, qui in ea voce inest, magis ad numerum quendam hominum rerumve refertur, e quibus unus homo sive una res eximitur. — Porro huc pertinet *perperam* verbum, de cuius radice iam §. 14. est expositum; *peram* enim est dativus antiquus *PARUS* pronominis et fere *alium in modum, aliorsum* significat, Romani autem, ubi rem alio fieri modo atque iustum et rectum est, videbant, id haud raro mitius et lenius expresserunt, alio tantum modo aliquid fieri dicentes. Itaque pro *adversus, infaustus* in auguriis *alter* dicitur: *altera avis*, quae *prospera non* erat, et pro *adverso* et *malo* interdum *aliter*.

(Cf. Pauli Diac. Exc. ex Festo p. 6. ex. Lindem.) Eodem modo dictum est *secus*, quod quum proprie *aliter* significet, saepe tamen pro *male*, *perverse* usurpatur. Cf. Sallust. Iug. c. 23. *Prius omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat*; c. 27. *Quod ubi secus procedit, neque quod intenderat, efficere potest.* Tacit. Ann. II, 80. *Quanquam coepta secus cadebant.* Idem est ἄλλως graeci verbi usus, quod *frustra*, *incassum*, *temere* significat. Hom. Il. ψ, 144.

Σπερχεῖ', ἄλλως σοί γε πατὴρ ἠρήσατο Πηλεύς,
κεῖσέ με νοστήσαντα.

Ita etiam *perperam* pro *prave*, *praepostere*, *perverse*, *male* Romani dixerunt. Sueton. Aug. c. 92. *Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextro induceretur.* Cic. Quint. c. 8. *Seu recte, seu perperam fecerunt.* Id. pro Caecin. c. 24. *Recte aut perperam iudicare.* *Per* enim praepositio *peram* vocabuli potestatem auxit et intendit. — Eadem denique vis intendendi et confirmandi in *nam* et *dam* inest. (Cf. §. 13. et §. 27.) — An aliis etiam in nominibus vetus ista declinationis forma reperiatur, eo magis in dubium vocari potest, quo incertior verborum *coram*, *clam*, *palam*, *multifariam* est origo.

§. 23.

DE CETERIS DECLINATIONIS FORMIS.

De pronominum accusativo casu singularis numeri si quid est commemorandum, id tantum ad pronomina personalia pertinet. Nam ἐμέ, σέ, ἕ sive σφέ atque etiam ἄμμε, ὔμμε, (cf. §. 4. 2.) et *me*, *te*, *se*, neque cum ceteris nominibus congruunt, neque omnino explicari possunt. Hartungus ex ἐμεί, τεί, εἷ doricis formis (cf. §. 25.) istos accusativos ortos esse credit; ista autem dorica vocabula putat esse dativos, quos pro accusativis esse adhibitos opinatur, id quod mihi non videtur esse verisimile. Nam et apud Indos est propria forma *mā*, *tvā*, quae, *am* particula adiecta, in *mām* et *tvām* transiit, et apud Romanos *mē*, *tē*, *sē* extant.

In pronominum personalium ablativis proprias formas *med*, *ted*, *sed* esse, easque formas perperam ad accusativum etiam esse translatas, §. 19. est expositum. Singuli pluralis numeri casus a vulgata declinatione magnam partem nihil differunt; quae admonenda videbantur esse, de iis §§. 17. 18. et 19. est disputatum; de *nostri* et *vestri*, *nostrum* et *vestrum* vide §. 4. 8.

Dualis numerus apud Romanos intercidit; apud Graecos eius forma in pronominum personalium nominativo a cetera declinatione aliquantum discrepat. Nam in cetera graeca declinatione dualis numeri nominativus in masculino genere ω litteram habet;

pronomina autem personalia habent νῶϊ, νῷ, σφωϊ, σφῷ. Itaque quaeritur, num formae, quibuscum graecae possint comparari, in linguis cognatis reperiantur. In qua re iterum lingua sanscrita aliquantulum lucis affundit. Apud Indos enim vulgata nominativi dualis forma est *āu*, quam eandem atque ω flexionem graecam esse puto; in nominibus autem generis neutrius et saepe etiam feminini *i* littera in hoc numero est nominativi signum. Quare equidem in νῶϊ et σφῶϊ duas has formas coisse et copulatas esse arbitror. Nam ad notionis alicuius vim intendendam fieri assolet, ut formae, quae eandem habent significationem, iuxta ponantur et cumulentur.

§. 24.

PRONOMINUM FORMAE MINUS USITATAE.

1) Romani alios pronominum casus mutilaverunt, alios secundum ceterorum nominum declinationem formaverunt, cuius rei nonnulla afferre lubet exempla. *Me* pro *mihi* dici Festus p. 104. his verbis commemorat: *Me pro* m i h i *dicebant antiqui, ut Ennius, cum ait libro secundo:*

Si quid m e fuerit humanitus, ut teneatis

et Lucilius:

Nunc ad te redeo, ut q u a e *m e* r e s impendet, agatur.

Praeterea reperiuntur *huis* pro *huius* apud Gruter. p. 44. Nr. 8.; (Schneider Element. tom. I. p. 287.); *quoji* e vetere poëta apud Cic. Tusc. §. 72. ed. Orell. et *quoiei* Orell. Inscr. Nr. 555.; *ibus* pro *iis* apud Non. Marcell. p. 486. l. 14. exempl. Mercer., ubi haec leguntur: *I b u s pro i i s minus Latinum putat consuetudo, quum veterum auctoritate plurimum valeat. Titinnius Gemina: Eu ecastor si moratae sitis ambae i b u s, ut pro ego moribus etc.*; *eabus* pro *iis* apud Catonem R. r. c. 152. *Facito scopas virgeas ulmeas, eabus latera doliis perfricato*; *im* et *em* pro *eum*, (cf. §. 5. 1.) *eum* pro *eorum* apud Festum in Excerpt. Pauli Diac. p. 58.

2) Inprimis autem ea pronomina, quorum genitivus singularis numeri in *ius*, dativus in *i* exit, pro his usitatis formis nonnunquam ceterorum nominum declinationem adsciscunt, de qua re Priscianus VI, 7. §. 35. *Vetustissimi,* inquit, *solent omnium in i u s terminantium genitivum et in i dativum, etiam in i genitivum et in o dativum in genere masculino et neutro, in feminino vero secundum primam declinationem in a e diphthongum proferre*; affertque *alii modi* pro *alius modi* e Catone et Licinio; *uni* pro *unius* e Titinnio; *ipsi* pro *ipsius* ex Afranio; *totae* pro *totius, soli* pro *solius, nullae* pro *nullius, nulli* pro *nullius, ulli* pro *ullius, illi* pro *illius*, et *isti* pro *istius*. *Illae* autem pro *illi* Plaut. habet Pseud. 3, 1, 17. Mil. 2, 1, 32.; *istoc* pro *isti* Bacch. 3, 1, 15.;

istae pro *isti* Truc. 4, 3, 16.; *isti modi* Truc. 5, 1, 38.; *aliae* pro *alius* Plaut. Mil. 3, 1, 204. Lucret. III, 931. Cic. de Divin. II, 13. §. 30. et Gell. 2, 28.; *altero* pro *alteri* Cic. Nat. Deor. II. §. 66.; *alterae* pro *alteri* Plaut. Rud. 3, 4, 44. Corn. Nep. Eum. 6. Terent. Heaut. 2, 2, 30. Quarum formarum quum multa grammatici congesserint exempla, nos quidem hoc labore supersedere possumus. Hoc unum, quod nemo adhuc grammaticorum observavit, addere volumus, pro *ius*, genitivi forma, non solum *i, ae, i* adhibita esse, verum etiam uti *ius*, sic *i* solum pro omni genere esse antiquitus usurpatum. Atque comprobat hoc idem Priscianus, qui, quum XIII. c. 3. §. 12. genitivum non solum in *ius*, verum etiam secundum nominum secundae declinationis regulam in *i* exire docuit idque exemplis illustravit, haec addit: *Sed quod est mirum, feminini etiam generis genitivum quidam in i protulerunt. Coelius in I. Antequam Barcha perierat alii rei caussa in Africam missus.* Quare Putschium, qui VI, 7, §. 36. libros veteres atque etiam codices quosdam secutus ex Afranio in Suspecta: *Adeo ut te satias caperet toti familiae*, et e Catonis Originibus: *Qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas*, edidit, non satis recte a Krehlio, qui *totae* et *nullae* illis locis scripsit, reprehensum esse credo. Eadem forma apud Sallustium extare mihi videtur in Catil. c. 29. *Aliter sine populi iussu* n u l l i e a r u m r e r u m *consuli ius est.*

3) Atque pro *i*, dativi vetere forma, etiam *o* dici, supra vidimus. Sed ea quidem forma in *eo, isto, illo, quo, hoc, utro, alio,* quibus etiam *citro, ultro, porro* et *huc, istuc, illuc* addenda sunt, in singularem quendam usum conversa est. Hae enim particulae, quas veteres dativi formas esse arbitramur, quum dativo rem aliquo dirigi et aliquem locum versus ferri significetur, (cf. §. 22.) facile solam acceperunt retinueruntque eandem notionem, ut motum in locum indicarent et pro adverbiis haberentur. Propter hanc igitur significationem istae voces cum *ad, usque* et *versus* particulis in *adeo, adhuc, illorsum, istorsum, quoquoversus, aliorsum, introrsum, eo usque* compositae sunt. *Huc* autem et *hoc* saepenumero commutantur, (cf. Forcellini s. v. *hic* et *hoc*) atque *istuc* et *illuc* etiam ab *isto* et *illo* *c* tantum littera demonstrativa differunt. *Intro* vero, *porro, ultro, citro* gradus comparativi sunt formae, de praepositionibus derivatae et pronominum declinationem secutae. (Cf. §. 17. Nr. 3. h.)

§. 25.

DE ADVERBIIS QUIBUSDAM QUAE EX PRONOMINIBUS ORIGINEM DUCUNT.

Multa hucusque et graeca et latina vocabula, quae adverbia vulgo putabantur esse, e pronominibus originem ducere et casuum aut deperditas aut mutilatas esse

formas, ostendimus. Iam supersunt nonnulla, quae, tamenetsi a pronominibus proficisci pateat, tamen ad quam sint casus formam referenda, ambigi potest. Quae communi adverbiorum nomine nuncupare hocque in loco componere constituimus.

1) Ac Graeci quidem tres habent formas, quae quietem in loco aliquo significant; quarum prima et maxime quidem usitata in *ου* exit: *ποῦ, ὅπου, ἄλλου, ἀλλαχοῦ*, quibus *οὐδαμοῦ, μηδαμοῦ* addere possis; altera in *ω*: *ὧ, ὧδε, τουτῶ*, quanquam his nonnunquam ii etiam, qui rem *in locum aliquem ferri* dicere volunt, utuntur, *τηνῶ*, quod Hesychius per *ἐκεῖ* explicat, *αὐτῶ, πῶ*; tertia denique forma *ει* habet, quae syllaba apud Dores et Aeoles in usu est. Num etiam *εἰ* particula condicionalis huc sit referenda, incertum est; *ἐκεῖ* vero, *τηνεῖ, αὐτεῖ, πεῖ, τεῖ, εἶ* huc pertinere apparet. (Cf. Hartungum l. c. p. 212.) *Πῶς, ὥς, οὕτως*, quod altera syllaba attrita etiam *οὕτω* eloquimur, *ἄλλως, αὕτως* aliaque id genus in *ως* exeuntia vocabula, quum eodem modo ex adiectivis adverbia deriventur, explicatione non indigent.

2) Romanorum itidem plura sunt eius generis adverbia, de quibus primum *us*, quod in *usque, uspiam, usquam* extat, est explicandum. Quum *que, piam* et *quam* ad pronomina indefinita addantur, non est dubitandum, quin *us* sit e pronomine indefinito ortum et pro *cus* dictum. Nam in quibusdam pronominibus et particulis, e pronomine sive relativo sive indefinito ortis, *c* litteram gutturalem abolitam esse, §. 16. vidimus. Ita etiam in hac particula factum esse, *secus* vocabulum docet, in quo propria *cus* forma etiamnunc superstes est. Et quum *secus* sit *diverso modo*, *se* praepositione demta, *cus* sive *us aliquo modo* significare intelligis. Idem etiam e ceteris vocabulis, in quibus eadem vox reperitur, apparet. *Usque* enim proprie est *quoque modo* et ad rerum continuationem et perpetuitatem significandam usurpatur, atque *uspiam* et *usquam* fere idem atque *quopiam modo* et *quoquam modo* indicant. E *secus* etiam, nulla notationis huius verbi ratione habita, gradum comparativum *secius* ad *melius, aptius* aliorumque vocabulorum normam formaverunt.

3) Deinde de *cum, dum, tum, num* particulis breviter est dicendum. *Cum* quo minus casum locativum esse supra statueremus, ceterarum, quas commemoravimus, particularum comparatio fecit; easdem pro accusativi masculini generis formis habet Grimmius. (Grammat. germ. tom. III. p. 25.) At quum masculini sive feminini generis formas adverbiorum naturam unquam induisse mihi persuadere nequeam, *um* syllaba temporis potius significationem inesse arbitror. Nam *cum* sive *quum* ad tempus referri, est non solum in simplice hoc vocabulo in vulgus notum, sed etiam e verbis compositis *unquam*, i. e. *tempore quoquam*, et e *quondam*, i. e. *tempore quodam*, perspici potest. Quum autem omnia, quae fiunt, quasi a tempore nascantur eoque tanquam fundamento

utan-

utantur, particulam temporalem etiam ad caussas ac rationes significandas adhiberi, non est mirum. Eadem vocula in *quoniam* vocabulo, e *quum* et *iam* composito, extat, pronominisque indefiniti vis in *cunque*, i. e. *quoque*, (cf. §. 27. 3.) comparet. Temporis etiam notio in *dum* et *tum* et *num* inest. Etenim *num*, de cuius verbi radice §. 13. 5. actum est, proprie est *hoc tempore*, id quod ex *etiamnum* vocabulo perspicias, et qui *num fecisti?* quaerit, simul *an hoc tempore feceris* sciscitatur. Quae vox quum tota particulae interrogativae vim accepisset, ubi tempus significandum erat, *c* littera demonstrativa addita *nunc* est dictum. Cum hac particula νῦν graeca vox est comparanda, quae ex eadem atque latinum *num* radice profecta, cum vario modo usurpari coepta esset, ubi temporis notio, quae propria fuit, atque primaria vis vocabuli erat urgenda, ι syllaba demonstrativa adiecta augebatur; νυνὶ enim *nunc, hocce tempore* est. Etiam *tum* particula, quae *cum* voci respondet, proprie est temporalis significatque *hoc tempore*; sed quoniam eadem itidem sensim aliter uti coeperunt, ad tempus significandum *tunc* usurparunt. *Dum*, cuius radix §. 13. 5. est a nobis exposita, et indefiniti et relativi pronominis habere significationem et semper de tempore intelligi, constat.

4) *Cur* Vossius in Etymologico cum Velio Longo p. 2231. e *quare*, Schneiderus (Elementarb. d. lat. Sprache p. 127.) e *cui rei* contractione ortum esse opinantur. Quorum neutrum equidem probaverim propter *igitur*, in quo vocabulo *tur* particula inesse videtur, quam, si *cum, tum, quam* et *tam* comparaveris, *cur* voci respondere credendum est; quanquam quid sit illud *igi*, ignoramus. Hartungus quidem, in libro aliquoties commemorato, *igi* ex *is* pronomine ita, ut ex ὅς pronomine ἦχι ortum esse vult. Sed quomodocunque *igi* est interpretandum, *tur* flexionem esse ad pronominum radices additam, putaverim.

5) Denique *alias* et *alteras* sunt commemoranda, quas voces Hartungus pro priscis feminini singularis numeri genitivis habet, verbum *horas* omissum esse ratus. Neque tamen hoc, quum usitatae genitivi formae *alius, alterius* sint, mihi videtur esse verisimile. Ego tamen ipse, quomodo eam flexionem explicem, non habeo.

De ἔνθεν et ἔνθα vide §. 26.

§. 26.

DE SYLLABIS QUIBUSDAM QUAE CUM GRAECORUM PRONOMINUM RADICIBUS COPULANTUR.

1) Multae sunt syllabae, quae, uti cum ceteris nominibus, ita etiam cum pronominibus copulantur. Et syllabis σε et θι additis, πόσε et πόθι oriuntur. Praeterea θεν syllaba,

uae motum e loco aliquo fieri significat, cum pronominibus copulata ὅθεν, ὁπόθεν, όθεν, πόθεν procreat. Neque mirum est, quum θεν syllabae notio sit genitivi significationi simillima, eandem ad hunc casum formandum esse adhibitam, uti in ἐμέθεν, ιέθεν, ἕθεν factum. Eadem syllaba in ἔνθεν extat, de qua voce vide §. 17. 2.

2) Locum, in quo quid fit, nonnunquam etiam locum, ad quem quid accedit, θα syllaba indicat. Eadem in lingua zendica reperitur. *Avadha* enim *hoc in loco* e pronomine quodam *ava* et syllaba ista Boppius iudicat compositum esse, (cf. Jahrb. der wissenschaftl. Kritik 1831, p. 815.) idemque indicum *iha*, i. e. *ibi*, quod ex *i* pronominis tertiae personae radice ortum et ex *idha* contractum est, recte comparat. Eandem syllabam apud Graecos et in ἰθαγενής et Ἰθαμένης cum pronominis demonstrativi Ἴ radice et in ἔνθα et ἐνταῦθα cum eiusdem pronominis casu locativo esse coniunctam, §. 5. 5. §. 8. 2. et §. 17. 2. est patefactum. Praeterea autem in nonnullis aliis verbis θα usurpatum est, in quibus θεν est usitatius. Apollonius enim de Adverb. 563. pro ἐξύπισθεν ἐξύπισθα, pro ὄπισθεν ὄπισθα dici commemorat, quibus alia addidit Hartungus. Idem μίνυνθα, ὀλίγινθα, ἦλιθα et ἔθα, quod Hesychius πάλιν interpretatur, recte contulit.

3) Ἵνα et δεῖνα ex Ἴ et Δείς pronominibus originem ducere, §. 5. 5. et §. 8. 3. docuimus. Quum ν littera ad horum pronominum stirpem pertinere videatur, α littera his in voculis locum, in quo quid fit, significare videtur; alia huius syllabae exempla mihi ignota sunt.

4) Πότε, τότε, ὅτε, ὁπότε temporis notionem continent et latinis vocibus *cum*, *tum* comparari possunt; quomodo autem factum sit, ut pro πότε etiam πόκα dictum sit, ea res §. 7. 2, e. explanata est; praeterea cf. 27. 3.

§. 27.

DE SYLLABIS QUIBUSDAM CUM PRONOMINIBUS ROMANORUM COPULATIS.

1) *Ti* syllaba, quae modum ac rationem, qua quid fiat, significat, ad pronomen relativum addita, *uti* (cf. §. 15. p. 68.) et ad tertiae personae pronomen adiuncta *iti*, quod in *itidem* extat, efficit. Eadem syllaba ad *idem* pronomen adiecta, quum *identi* dicendum fuisset, tamen, quoniam in horum pronominum fine semper *dem* audiebatur, *identidem* dicere maluerunt. Quae syllaba quum etiam apud Indos cum tertiae personae pronomine copuletur, *iti* enim *sic* significat, haud scio, an eadem apud Graecos

in ἔτι vocabulo, quod e τι syllaba illa et tertiae personae pronomine compositum vid possit, sit servata.

2) *Dam*, quod cum pronomine indefinito componitur, qua ratione *quida quaedam*, *quoddam* sive *quiddam* oriuntur, e quanam sit radice derivandum, §. 13. est expositum. Eo in loco et in §. 22. vidimus, *dam* gradum et sententiae exaggerati nem quandam significare. Itaque ad pronomen indefinitum additum rem incerta haud paullo certiorem reddit. *Quidam* enim vocabulo qui utitur, hominem signific non mente tantummodo fictum, sed qui revera est et vivit, cuius quum formam pe spectam habeat, nomen tamen eloqui aut non vult aut nequit. *Dem* syllabam eande atque *dam* esse arbitror, quum *a* littera in *e* facile transire possit, et *dem* in *pridem quidem* plane eandem atque *dam* habeat significationem. Nam quum *pri*, uti ex *pr die*, *prior*, *pristinus*, *primus*, *priscus* intelligere licet, tempus aliquod praeteritum sign ficet, huius verbi potestas, *dem* syllaba addita, augetur et amplificatur. Eadem hui syllabae vis in *quidem* particula inest, de qua voce, quum multo sit usu illa trita frequentata, paullo accuratius hic videtur dicendum esse. Priorem autem huius voca buli syllabam pronominis indefiniti casum ablativum esse arbitror, neque, quo minus i esse iudicemus, brevis syllaba impedit. (Cf. infra 3, a.) *Qui* igitur est *quo modo*, *qu ratione*; quem modum quum *dem* syllaba certum quendam atque definitum esse decla ret, totum verbum affirmandi vim illa appendice accipit. Pro *quidem* etiam *equiden* dicitur, quod quoniam saepe cum primae personae pronomine componitur, fuere, qu ex *ego* et *quidem* ortum putarent esse. At multi sunt loci, in quibus *equidem* cu secunda tertiave persona coniungitur. Plaut. Aulul. II, 1, 18. *Decet te equidem ver proloqui*. Id. Men. II, 2, 35. *Insanit hic equidem*. Sallust. Catil. c. 52. *Quare vanun equidem hoc consilium est*. Neque vero, quomodo *equidem* ex *et quidem*, ut alii puta vere, contrahi potuerit, intelligi licet. Quare *e* litteram ad verbi vim augendam ita, ut i *enim* (cf. §. 17.) aliisque in vocabulis alias vocales, esse additam credo. Plerumque auten *dem* ita sententiam exaggerat, ut notionem aliquam, quae iam commemorata est, repe atque retractari significet, quod ex *idem*, *tantusdem*, et *totidem*, in quo verbo *i* sor emolliendi caussa est insertum, perspicuum est. Porro *tandem* facilem habet explicatum Nam quum *tam* sententiam amplificet et intendat, (cf. §. 22.) *dem* syllaba eandem vim a potestatem in ea sententia, in qua hoc verbum extat, atque in antecedente sententi esse declarat. Itaque in rebus singulis *aeque gravibus* enumerandis locum habet, idem que quum *aeque graviter* significet, *vehementiae* sensum induit et cum animi affection effertur.

3) Denique de *que* particula exponendum est. Quod quamvis sit singulare vocabulum, tamen toties cum pronomine coalescit, ut hic, ubi de pronomine agimus, non possumus, quin de eo pauca adiiciamus. Hoc verbum et apud Indos et apud Graecos et apud Romanos (cf. §. 7. 2, e.) in usu est, atque in his linguis omnibus iungendis potissimum verbis sententiisque inservit ac semper pone verbum, ad quod pertinet, collocatur. Apud Indos autem non solum verba sententiasque coniungit, sed in universum sententiam, quae enuntiatur, aliquoversum referri significat. Hoc quum in plerisque sententiis accidat, fit, ut apud Indos huius particulae usus adeo sit frequens, ut ea in particulis, quas vulgo expletivas vocant, habeatur. Atque si apud Graecos τέ particula aut ad pronomen relativum aut ad adverbia, quae e pronominibus oriuntur, addita est, id propter eandem relationis notionem factum videtur esse. In πότε autem et ὅτε etc., de quibus §. 26. 4. nonnulla monuimus, τέ ad tempus relatum est et temporis notio in his vocibus maximam partem obtinuit. Romani vero, quum ceteroquin in *que* particulae usu cum Graecis et Indis consentiant, ea tamen re ab iis differunt, quod illam particulam saepissime ad pronomen indefinitum omniaque adverbia, quae a pronomine indefinito veniunt, addunt. Confer *quisque, uterque, undique, utrinque, ubique, cunque, usque, quoque.* Quodsi quae sit huius particulae significatio, quaerimus, hoc est animo repetendum, quod §. 13. 4. exposuimus, pronomine indefinito rem mente conceptam et e rerum eiusdem generis cumulo ac serie exemtam significari. *Que* autem particula si ad pronomen additur, pronominis vis extenditur idque ad omnem rem, in quam cadere possit sententia, transferri significatur. Itaque *quis,* particula *que* adiuncta, non hominum incertum quendam, sed omnem, ad quem pertinere possit sententia, notat. Ab *omnis* igitur ita differt, ut hoc quidem cunctos simul significet, *quisque* autem distributionem quandam exprimat. Cic. de Orat. I. c. 28. *Ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.* Id. in Somn. Scip. c. 8. *Nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque, is est quisque.* Hoc verbum quum semper e cetera sententia intelligi debeat, plerumque pone id verbum, ad quod prae ceteris pertinet, collocatur; quod fit, si cum numeris, qui ordinales vocantur, et cum pronomine reciproco componitur, v. c. Cic. pro Rab. c. 12. *Tertio quoque verbo excitabatur.* Id. Philipp. VIII. 4. fin. *Uti de eius honore primo quoque die ad Senatum referant.* Verr. I, 27. *Pro se quisque, ut in quoque auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur.* De Nat. Deor. III, 1. *Cum suo cuique iudicio sit utendum.* Raro enim fit, ut pronomen reciprocum praeponatur, v. c. Cic. de Amic. c. 16. *Ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis.* Hirt. de Bello Afric. c. 31. *Edicit, uti quisque suo loco pa-*

ratus esset. Eadem *que* particulae significatio est in ceteris pronominibus indefinit *Uter* indefinitum Graecorum voci πότερος respondet, *uterque* autem omnem e duobu quantumque in eos id, quod enuntiatur, cadere possit, significat. *Unde* est *de lo aliquo*; *ubi*, *in loco aliquo*; *undique*, *de omni loco*; *ubique*, *in omni loco*, ad quer sententia, quae enuntiatur, pertinere possit; *uti* est *aliqua ratione*; *utique* affirmand vim habet et est *omni*, *qua quid fieri possit*, *ratione*. *Cum* tempus ostendit, (c §. 25. 3.); *cunque* est *omni tempore*, quo quidem illud, quod eloquimur, accidere possit quod raro solum effertur, v. c. ab Horatio in Od. I, 32, 15.

o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti.

Plerumque autem cum pronominibus aut indefinitis aut relativis componitur. Quibuscum si copulatum est, semper temporis ratio habetur, quo res, de qua agitur, fieri possit; quanquam quae particulae proprie de tempore dicuntur, etiam ad viam ac rationem, qua quid fiat, ostendendam saepissime transferuntur. *Cunque* autem rarius ad pronomen indefinitum, (cf. Cic. Cat. II, 5. *Quae sanari poterunt, quacunque ratione sanabo*; ad Att. XII, 29. *Si quid erit, magnum adiumentum, sin minus, quacunque ratione contendemus.*) multo saepius ad pronomen relativum est additum, unde *quicunque*, *quantuscunque*, *quotcunque* oriuntur. — *Us*, uti §. 25. 2. est expositum, *qua ratione* significat; *usque* igitur est *omni*, *quae in rem aliquam cadere possit*, *ratione*, *diu*, *multum*, *valde*, *perpetuo*. Terent. Adelph. II, 2, 5. *Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus.* Virg. Eclog. IX. s. fin.

Cantantes licet usque, minus via laedet, eamus.

Inde fit, ut actionis continuationem atque etiam loci temporisve finem notet, et ita praepositionis naturam induat. Hic denique *quoque* est paucis explicandum. *Quo* dativi est forma, de qua §. 24. 3. expositum est. *Quo* igitur *quem in locum versus*, *quoque* autem *quemque in locum versus* significat. Eo verbo utitur, qui sententiam aliquam novis notionibus augere et amplificare vult. Quod verbum quum semper e re nata sit explicandum, non potest fieri, quin pone id verbum, cui singularis illa vis addenda est et e quo ipsum explicatum et quasi lucem accipit, collocetur. Neque potest offendere, quod in *quŏque* prior syllaba corripitur. Id enim in verbis usu maxime frequentatis ac tritis saepe factum esse constat, quod ut melius intelligatur, conferatur *quăsĭ*, quod pro *quāsī* dictum est, (cf. §. 18. b.) et *indĕ*, *undĕ*, *indĭdem*, *undĭque*, (§. 17.) et *tamdĕ*, *quamdĕ*, (§. 22.) et *utĭnam* ex *utī*, et *modŏ* e *modō*, et *hŏdie* ex *hōc die* ortum.

